





Dominico Raphaele Capone  
Mario Lazarorum parvillatri Guidone  
auctoriss obsequiis et observatione lignum,

# DE SCHOLA SALERNITANA

## ORATIONES

IN REGIO SALERNITANO LYCEO

A NICOLAO SANTORELLI

PATHOLOGIAE PROFESSORE

HABITAE

ACCEDIT EIUSDEM SCHOLAE AUCTORUM ET OPERUM

CONSPECTUS

Tam medicinali tantum florebat in arte.

ALPHANUS, *Od. ad Guidonem*, p. 106.

Salernum medicinae fontem ac Gymnasiū  
nobilissimum.

PETRARCA, *Itinerar.*, an. 1330.

NEAPOLI

TYPIS REGIAE SCIENTIARUM ACADEMIÆ

APUD MICHAËLEM DE RUBERTIS

MDCCLXXXV

✓  
9  
826

REGISTRATO



DE SCHOLA SALERNITANA

ORATIONES

IN REGIO SALERNITANO LYCEO

HABITAE

I-B-260



# DE SCHOLA SALERNITANA

## ORATIONES

IN REGIO SALERNITANO LYCEO

A NICOLAO SANTORELLI

PATHOLOGIAE PROFESSORE

HABITAE

ACCEDIT EIUSDEM SCHOLÆ AUCTORUM ET OPERUM

CONSPECTUS

Tum medicinali tantum florebat in arte.

ALPHANUS, *Od. ad Guidonem.*, p. 106.

Salernum medicinae fontem ac Gymnasium  
nobilissimum.


PETRARCA, *Itinerar.*, an. 1330.

NEAPOLI

TYPIS REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ

APUD MICHAËLEM DE RUBERTIS

—  
MDCCCLXXXV



Tum medicinali tantum florebat in arte.

ALPHANUS, *Od. ad Guidonem*, p. 106.

Salernum medicinae fontem ac Gymnasium  
nobilissimum.

PETRARCA, *Itinerar.*, an. 1330.

Orationes de Schola Salernitana, quas in Salernitano Lyceo coram medicinae studiosis, assidentibus antecessoribus et de re medica benemeritis viris, habui, colligere et publico iudicio submittere dudum mihi erat in animo; sed tanta de eiusdem Scholae immerita abolitione amaritudo me incessit, ut eas in scriniis deposuerim ac per multos annos refugerim ipsas inspicere.

Receptis nunc animis, non desistendum a pristino consilio, et tardam manum illis sermonibus fugitivo calamo exaratis adhibendam censui. Sed, cum orationes retractaverim, is mihi visus est ille primus labor, ut plurimis locis nonnulla expungere, alia mutare, alia clariore sermone exponere simulque demonstrare, multaque ad rem facientia

superaddere existimaverim. Quae eo magis facienda sum ratus, quod altiores his proximis annis investigationes de eadem Schola sint factae et Auctorum, qui inibi floruerunt codices a doctissimis viris sint dilucidati. Quare eorum sententiis vel eruditione orationes meas augere, et ubi res postulabat, textus rationem ex integro renovare institui.

Non parvo augmento facto, cum Salernitanae Scholae documenta et rei medicae accessiones in dies excreverint, haud pauca quamvis nuper edita interponere, cuncta in meliorem ordinem redigere mihi curae fuit. Quo enim aptius ad Salernitanae Scholae gloriam restituendam adhortarer, eo propositum meum spectabat, ut eiusdem originem et characterem, Auctores Principes et immeritam abolitionem plenius, quam mihi primus sermo fuit, et accuratius exponerem.

Ut id ipsum absolverem, nihil deesse nisi alios illius Scholae Scriptores eorumque opera excurrere est mihi visum. Hac de causa eiusmodi rerum conspectum velut appendicem orationibus adscripsi.

DE SCHOLAE SALERNITANAE GLORIA

IN PRISTINUM RESTITUENDA

ORATIO

IN REGIO SALERNITANO LYCEO

A NICOLAO SANTORELLI

PATHOLOGIAE PROFESSORE

HABITA

IV. KAL. SEPTEMBER. MDCCCXLVIII.



Si de Scholae Salernitanae gloria vellem ante omnia disserere, latissimus sane mihi aperiretur campus, in quo expatiari posset oratio. Sed, cum haec res iam in communi notitia et voce sit posita, consultius duxi huius gloriae causas et effectus breviter exquirere.

Novum vero et penitus intactum argumentum est, quoad rationem qua pristina eiusdem Scholae gloria restitui possit. Cumque sine universa studiorum instauratiqne id assequi nequeamus, necesse est singulas medicinae disciplinas percurrere et viam indicare qua illae hodierno scientiae progressui et praesenti statui Salernitani Lycei recte possint accomodari.

Cum huius scholae celebritatem tam veteres quam recentiores scriptores mirati sint, pauci tamen veras huius famae causas et effectus ita explicarunt, ut docti viri sibi satisfactum esse pronuntiarint. Non inanem itaque operam me facturum esse existimo, dum huic rei aliquam lucem affundere conor.

Si Salernitanae Scholae Auctores pervolvimus, eos

ita in medicam scientiam incubuisse deprehendimus, ut fere omnia ad morborum curationem contulerint. In eo maiori studio desudarunt, ut remedia invenient, quibus aegrorum sanitati restituendae aptius efficaciusque consulerent. Cumque maius huius scientiae pretium in eius usu consistat, et efficacior medendi ars medicos revera extollat, ex eo, cur nostra Schola egregie sit, si qua alia, merita, explicare incipimus.

Si vero Nostrorum labores accuratius scrutemur, eorum meritum maius fuisse deprehendimus, quod a propria observatione et experientia medendi artem praecipue hauserint. Id ex Petronii verbis, dixit enim « Quid feci rescribam », id ipsum ex Plateario « Scripsi quae in mea manu praebuerunt effectum » et fere ab omnibus Salernitanae Scholae scriptoribus acceperimus. Quamcumque vero medendi artis accessionem magnum auctoribus honorem parere quisque facile concedet. Nam medicina, ab observatione et experimentis penes aegrorum lectum institutis orta, non nisi iisdem fontibus augeri et perfici potest.

Cum vero caeteras huius gloriae causas enucleare longa res esset, tum inter potissimas Christianae Religionis cultus, qui in hac Schola invaluit, est ponendum. Cum enim Dei veneratio in quacumque Schola magni sit habenda, id maxime Nostros nobilitavit, et Scholae longe gloriosum fuit.

Ex quibus factum ut nostrae Scholae fama non fuerit inter Italiae confinia conclusa , sed in exteris nationes provolaverit, et a remotis terris Salernum , veluti in rei medicae centrum, pro recuperanda salute, inter frequentissimos aegros Episcopi , Principes , Reges ipsi advenerint. Inde evenit ut studiosi ad Salerni Scholam, veluti ad medicae scientiae insigniorem palaestram concurrerint. Inter quos Aegidium Corbeliensem , qui studiis in nostra Schola usque a medio duodecimo saeculo confectis, tria poemata ad Scholae canones et Magistros praedicandos conscripsit , Gilbertum Anglum , qui nostrae Scholae scientia imbutus eam in Anglia propagavit, et Bernardum Provensalem , qui Salernitanam doctrinam commentis illustravit, satis sit nominasse. Merito igitur inter doctos Germanos , qui Salernitanam Scholam laudibus extulere , Ackerman inquit: «Celeberrimi viri, qui medicinam in hac Schola professi sunt, aut didicerunt, aut in Hippocratica antiquissima civitate exercuerunt summa pro tempore , quo vivebant , ingenii doctrinaeque laude floruere. Ad quos non aegri solum malorum suorum levamina querentes , sed rerum etiam medicae scientiae studiosi ex longe maxima orbis culti parte confluxerint ».

Quae de Scholae Salernitanae gloriae causis et effectibus adumbravi , ad propositum thema tractandum viam mihi aperire videntur ; scilicet de illius glo-

ria in pristinum restituenda. Sed id ipsum, si verum fateri velimus, arduum est in praesenti ac difficile. Nam, si temporis memoriam revocemus et illius aevi spatium percurramus, manifestum erit Scholam Salernitanam floruisse per id temporis intervallum, quo nulla alia a leo vigebat, ut cum illa comparari potuisset. Sed nunc in quovis fere Europae angulo medicorum ingenia ad scientiae incrementa exercentur, et, subsidiis olim incognitis adhibitis, progredienti scientiae felici successui prospiciunt.

Nihilominus in ipsa nostra aetate minor certe est numerus eorum, qui simplices fidiasque observationes, quam qui speciosas opiniones in medium proferrunt. Idcirco ad pristinam Scholae gloriam accedere poterimus, si hodiernam scientiam, observatione et experientia duce, ita arti aptemus, ut, cum coaevas scholas in caeteris omnibus aemulemur, in hoc tamen fructuosiori studio primas habeamus. Omnium enim laborum is finis est, ea meta, ut aptior aegris fiat medela. Sed haec ipsa rerum summa saepe est Naturae laberyntus: tantae sunt ambages, quibus est implexa, tantae tenebrae, quibus est involuta. Fideles tamen observationes de morborum curatione filum porrigunt, et qui propriis experientiis rectius institutis procedunt, ii coaevas scholas aequare, imo etiam superare valent. Haec igitur, renovatis auctisque curis, sit nobis sparta.

Quam praestet, quamque eximia sit observationis et experientiae methodus in rei medicae studiis capessendis ne temporis quidem momento immorari debeo ut ostendam : eiusmodi enim methodus huic scientiae apprime convenit. Satis vero a Philosophis est traditum ea ad quamdam scientiam esse aptiora, quae eius fini magis respondent. Hinc thema, de quo agimus proprie hoc non respicit argumentum, cui nemo est qui non assentiatur. Sed huius methodi via et ratio ad scientiae progressum et Salernitani Lycei medicas disciplinas instaurandas ita est applicanda, ut ad pristinae Scholae dignitatem Lyceum erigere possimus.

Oportet itaque summatim indicare, quae vel cathedrae vel experimentis sint committenda, quae vel ab antiquis vel a recentioribus desumenda, quaenam scientiae progressui et quomodo subiicienda, quae docentis, quae discentis pensa; quo pacto cuncta ad rectiorem scientiae applicationem in medendi arte sint coordinanda. Quae denique nova Instituta ad propositum finem Salernitano Lyceo sint addenda, nostrum erit attingere.

At nemo vestrum, eruditi auditores, haec sic accipiat, quasi ego leges de his rebus velim statuere, vel ut aliquis praceptor prodeam. Alii enim alia et saepe meliora advertunt. Hinc si quid aptius vel utilius proferri possit, ad discendum sum paratus et promptus.

A Physicis et Chimicis institutis, quae eiusmodi studiorum sunt primordia, dicendi initium sumo.

Praemissis generalibus notionibus, quae de his scientiis iam statutae sunt, quaecumque docenda sunt de materia inorganica elementari vel composita, quoad qualitates, vires, mutationes, observatione vel experimendo sunt confirmanda. Quae de materia gassosa vel de imponderabili ex scientiae progressu colligimus, appositis experimentis dilucidentur. Si vero experiendi rationes et conditiones immutemus vel novas instituamus, aliquid novi invenire vel inventis addere poterimus. Licet enim plurimis et magni momenti inventis hae scientiae dilatatae fuerint, plures tamen supersunt difficultates, multa nondum ad perspicuitatem sunt perducta, vel intentata remanent. Is etiam saepe fuit eiusmodi experimentorum eventus, ut, dum in vestigatione quarundam rerum desudavimus, controversa solvere potuerimus, vel omnino nova nobis se obiiecerint.

Nolim vero omnem institutionis paginam in experimentis cohibere, nam ipsorum ope novas inductiones vel leges detegere fas erit. Sed in hoc tentamine nihil festinationi est indulgendum. Intellectus enim sui ipsius natura ad abstracta et generalia fertur, vel quae fluxa sunt credit esse constantia. Quocirca conclusiones cautionibus circumdemus, ne ad errores potius quam ad leges perveniamus.

Simul et eodem ferme anno Historiae Naturalis institutio est peragenda, quae, quamvis in medendi arte

exercenda singularem usum habere non videatur, a medicis tamen disciplinis, quae cum ipsa quodam vinculo coniunguntur, separari nequit. Oportet enim ut talis informetur medicus, qui omnes numeros habeat.

Quoniam vero nullibi magis quam vegetabili in regno opes suas tanta ubertate ac varietate ostendit Natura, gratulor quidem, paucis abhinc annis, agrarium hortum Salerni inauguratum, et ita excultum, ut sine magna oculorum voluptate aspici non possit novas vel minus notas, exoticas etiam plantarum stirpes inibi adolevisse. Sed herbarum et plantarum supellex non ad terrarum modo vestitum ornatumque, neque solum ad iucundum oculorum spectaculum est facta, sed, quod desideratissimum est, ad hominum salutem est comparanda. Idcirco hic campus ad botanicam etiam tradendam est accomodandus.

Si vero nostrae regionis naturalium rerum non simus satis periti, hanc materiam tractandam reformidabimus. Cumque quaelibet regio peculiaria de thermis, de Fauna, de Flora, et fossilibus habeat, Salerni agros, montes, littora, terras Professor peragret, resque ibidem conquisitas, distinctionis gratia, ab aliis separet et in apposito scrinio ordinet.

Thermales Contursii aquas, non procul a Salernitano agro scaturientes, quibus validas contra pertinaces morbos et collapsam salutem Natura indidit

vires, chimica analisi persequamur, ut earum usus melius innotescat. Magna sane fama de earum vi salutifera est divulgata; sed usus veluti empirice invaluit. Curemus igitur ut earum virtutes etiam scientiae ope sint definitae.

Pari studio vegetabilia sponte nascentia, mineralia, fossilia nostrae regionis erunt conquirenda; sed quae nova apparent fossilia curationi indagatione saepe ad cognitas classes referenda esse novimus. Si vere nova occurrent atque ea, quibus paleontologi multa millena annorum tribuenda opinantur, hoc scientiae adseratum, nihil Bibliorum genesi adversari discentes admoneamus. Quin, occasionem nacti, quae nuperri me in naturae historia sunt reperta nullibi Sacrorum Librorum locis refragari demonstremus. Id valde utile erit. Non desunt enim hodierni praeceptores, qui, sub Historiae Naturalis progressus specie, discipulos caligine, ut a religione abducant, effundunt. Similiter quae specialia in Salernitana et finitima regione quoad animantia conquisivimus, ad Zoologiae extensionem conferamus. Sed, oblata opportunitate, specierum immutabilitatem solidis argumentis muniamus, ut illam opinionem de successiva animalium in hominem transmutatione ridendam potius, quam refutandam tradamus.

Divulgata per nostram et vicinas regiones notitia de Salernitano Historiae Naturalis Museo iam ince-

pto, paulatim a scientiae cultoribus obiecta ad Musei Salernitani incrementa missum iri non vane speramus. Cumque diu Physicae et Chemiae Musea Cathedris adiungenda flagitavimus, ut demonstrationibus in docendo uteremur, similia ad Historiae Naturalis obiecta inter lectiones ostendenda expetimus. Sint non vana desideria !

Data opera his studiis, in ipsum medicae scientiae vestibulum ingredi est opus, et ab anatomicis rebus institutionem inaugurate. Haud inepte aliis artificibus comparari poterit medicus, qui, quo pleniorum suorum machinarum habent cognitionem, eo aptiores fiunt ad suas res intelligendas.

Generalibus notionibus vix delibatis, in medias res oculis subiiciendas discipulos deducamus, et ab initio ad finem in anatomico theatro lectiones absolvamus. Quisque dissentium in dissectiones maxima sedulitate, et propria manu agendas, incumbat; cum Anatomia dissectionum scientia non immerito sit definita. Cumque novis dissectionum artificiis quaedam organorum latebrae sint reseratae, in his promovendis, mutandis, perficiendis, ut novum quidquam investigari possit, toti simus. Magni viri laudem consequetur, qui aliquam corporis particulam, etiam si minutissimam, elucidaverit vel invenerit et ex scintilla magnum fieri poterit lumen.

Hinc organica elementa eorumque qualitates, con-

iunctionis et distributionis modi, aliaque id gens indaganda erunt, ut humani corporis penitorem & texturam et structuram demonstremus. Histologicu*m* cuiusque textus scrutinium microscopii ope complemus.

Simul Anatomia topografica ita est explicanda, ut aegri lecto assidentes eius corpus pellucidius viro inspiciamus, et foris, quae intus lue laborent, quibusque in latebris lethale virus insidat, perlegamus. Cuiusque corporis regionis substrata si in propria serie cognoscimus, haec introspectio rebus clinicis maximo erit adiumento.

Neurologia eo diligentius exponenda erit quod magis eius influxus ad omnes res medicas exterrit. Nervi enim per omne corpus disseminati cuncti partibus vires et capacitatem ad functiones sibi proprias subeundas praebent, amicoque eas vinculo netunt. Caeteris ideo partibus praestant.

Sed nervos ab origine usque ad ultimos sculos, varias e truncis et radicibus propagines, pleus ad organa gubernanda, eorum distributionem, situm, connexiones, ganglia, sanguinea vasa, quae nervis so ciantur etc. diligentissima praeparatione facta, percipiamus, consideremus. Hoc pacto de affectibus externis et internis, de eorum gradu, et exitu, aliquique id genus recte iudicare poterimus. Cumque consensus stupenda et inaudita phoenomena in toto corpore exhibeat, consensuum scientia solummodo exacta nera-

vorum notionibus poterit explicari. Patiens supra nervos Anatomia haec aliaque scitu pretiosa largietur.

Res anatomicas administrantes abnormem partium situm, numerum, conformatiōnem, aliosque naturae lusus, qui identidem nostris oculis obversantur, speciatim viscerum in situ et connexione anomalias haud obiter attingamus. Haec enim vel modos monstrant quibus benefica Natura se expedire scit, etiam quando a consueto tramite deflectit, vel nonnulla morborum arcana aperiunt. Interdum huiusmodi aberrationes plus lucis affuderunt, quam solitus et regularis partium status.

Anatomicis rebus Physiologiae institutio stricto vinculo nectitur. Vix enim quidquam in Physiologia scire possumus nisi per ea, quae in anatomia didicimus. Cumque Physiologia sit veluti fons, quo caeterae medicinae disciplinae irrigantur, maior tamen cum pathologia eius est cognatio. Quod comprobatur ex eo, quod ut rectum de morbosa vita ferri possit iudicium necesse est ut praecedat vitae sanae consideratio. Hinc magnum notionum thesaurum Pathologia a Physiologia repetit, et si quidquam veri morborum philosophiae accessit, id maiori ex parte a Physiologia praestitum est.

Sed speculativum quodlibet Physiologia hodierna reliquit, et veluti Physica et Chemia facta est scientia experimentalis. Cum vero unicum saepe expe-

rimentum plurium annorum figmenta refutasset, Physiologia electricis, chimicis, microscopicis auxiliis adhibitis, multa obscura illustravit, plurima antiquis incognita perspexit, et solidum in dies sibi parat progressum.

Idem igitur percurramus iter, et stimulo electrico, mechanico, thermico, chimico, partium ex animalibus abscissione, ipsa vivi sectione naturam subtilius rimemur. Haec crudelitas saepe ad res physiologicas plus contulit, quam omnes fere artes, quarum conspirante opera haec scientia est progressa. Sed oportet accedere ad opus non eo animo ut videamus quae classicus auctor descriptsit, sed ea cum voluntate ut quae natura fecit videamus. Tunc non paucas veritates firmabimus, quaestiones, difficultates, quae supersunt diluemus, et aliquid ad scientiae progressum moliemur. Hinc Physiologiae comparatae promovendae sunt observationes, quarum ope novae functionum rationes et causae, aliaeque progressus viae aperiri possunt.

Cauti tamen simus de quocumque, quem neoterici iactant huius scientiae progressu. Quae enim in scholis hodie tradunt de typi animalis in embryonum formatione unitate, asserendo species homine inferiores nihil aliud esse nisi paucas in humani embryonis evolutione, haud excipimus. Cum enim vitae animalis fulcrum sit in nervoso systemate, si una archetypa

idea organicae formationi praeesset, unum etiam in diversis organismis nervorum systema esse deberet. At contrarium nos docet observatio. Nervea enim systemata in diversis animantium speciebus diversa et ad diversas functiones ordinata, singula in proprio genere sunt perfecta. Ad haec, quaeque species peculiari pollet informatione relate ad finalem evolutionem, quae nonnisi vi illata et fallaciter in unam scalam vel formationis unitatem reduceretur. Rem penitus consideranti illud satis appareat quod Creator Omnipotens cuique in universum animantium speciei finalem nisum formativum ad definitas, constantes, et diversas formas induendas indidit. In ipso minerali regno observatione docemur, nullum esse mineralium genus, quod, licet ingens inter mineralia et organica corpora intercedat discrimen, peculiari tamen nisu in determinatas, et diversas crystallorum formas continenter abire non gaudeat quin ex una in aliam transeat. Idcirco illa in formatione typi animalis unitas in speciosam mentis excogitationem reddit. Sed in his rebus excogitatio, quantumvis speciosa, non est inventio neque progressus. Tantum tamen absfuit ut omnes naturae studiosi hanc excogitationem vanam habuerint, ut complures velut sitientes avide exceperint. Eos, re penitus perpensa, haud imitabimur.

Similiter quae hodie ferunt in medium de formis primitivis, quae transitionem materiae inorganicae in

organicam monstrarent ad phantasmata cecidere. Re-vera famosum illud Batybum, in quo, superficie tantum inspecta, primum in materia inorganica plasma organicum vel aliquid inter inorganicas et organicas materias medium invenisse ostentarunt, licet apparenter ad organicam formam accedere sit visum, chimici tamen demonstrarunt nihil aliud esse, nisi calcis sulphur, sub aspectu depositi flocco-gelatinosi. Nihil aliud igitur fuit nisi minerale depositum, et magni progressus expectationem substituit risus.

Cum nostri saeculi initio insolita cerebri eiusque functionis facta sit contemplatio et inauditae de hominum indole ad artes, virtutes ac vitia divinationes ex solo cranii aspectu tactuque ductae e cathedra per urbes et terras translatae, scriptisque divulgatae fuerint, haec non imperitis solum, sed eruditis etiam admirationem, doctis vero indignationem excitarunt. Hodie fere in oblivionem vel silentium transiere.

Similia sunt existimanda de physiologico progressu quod attinet ad Psycologiam, quem non pauci Professores hodie in Italia venditant. Inquiunt « motum molecularum partis corticalis cerebri cogitationem efficere, vel in vim cogitandi transmutari ». Hinc cogitationem nihil aliud esse quam cerebri speciale functionem blaterant.

Verum hic molecularis motus tam exiguis et pusillus ut oculorum aciem effugiat, tam minimus ut

acutissimis etiam lentibus lateat si efficeret longe intensissimam cogitandi et volendi operationem, quae ad immateriales res et ad infinitum usque se extollit, effectus longissime exsuperaret conditionem quae ponitur pro causa efficienti; ideoque effectum sine causa haberemus. Nec motus ille molecularis in vim ad ipsam cogitationem efficiendam posset immutari; nam haec vis semper illi motui, utpote causae efficienti, respondere deberet, et res semper eo rediret ut effectus hac ipsa vi longissime esset superior.

Non est huius loci haec exagitare: non tamen incongruum vel a nostro instituto est alienum, quod adiungo. Si ille motus esset causa efficiens cogitationis, cum illae ipsae moleculae propter assimilationem continuo commutantur, necessario fieri deberet ut temporis fluxu tota prior cerebri substantia corticalis evanesceret, ac nova sufficeretur. Idcirco, si vis cogitandi in illo cerebri molecularum motu ponitur, haec temporis processu variari, tandemque, illis mutatis, in aliud verti plane deberet. Contra, ut nemo non experitetur, cogitatio eadem iugiter et integra manet, ita ut ad vitae finem eosdem nos esse sciamus, qui, quoad longissime recordari possumus, antea operabamur.

Ex quibus recte concludimus hunc Physiologiae quoad mentis facultates progressum nihil aliud esse, quicquid neoterici ventilent, nisi ad veteres errores, mutato nomine, regressum. Sed somniant harum et

similium opinionum sectatores, si malesuados errores Physiologiae progressum esse autumant, et Lucretii insaniam, qua hominem crassa solum materia compositum blateravit, reproducere conantur.

Maxime vero dolendum est has non minus absurdas quam dolosas opiniones in nostris scholis ab extensis praesertim tradi. In quo quis non doleat miseram conditionem Italiae, quae, cum praeteritis temporibus optimarum disciplinarum fuerit Magistra, nunc tam est prolapsa ut extera ingenia ad huiusmodi doctrinas tradendas advocaverit?

Mihi affulget spes fore ut mox, revocato ad meliorum frugem iudicio, cunctisque hos errores fastidientibus, hae opiniones materialisticae prorsus evanescent. Sed abeant a nobis, si qui reliqui fuerint, qui obstinate persistant, et sciant eorum tantum palato talia placere posse, qui quicquid verum et rectum est recusant vel spernunt. Ego autem nihil magis opto quam a medicinae dissentibus materialismi accusatio omnino depellatur, atque ut ipsi harum opinionum propagatores effugiant.

Ad Pathologiae generalis institutiones gradum faciamus.

Cum de medicinae studiorum ratione inter socios disquirerem, ut auspicato lectiones pathologiae generalis in Salernitano Lyceo traderem, inter nos mota fuit quaestio, an generalem pathologiam clinicae in-

stitutioni praemittere vel postponere praestaret, et quomodo illam observationis et experientiae methodo subiicere possemus.

Contendebant nonnulli, praeposta institutione Pathologiae generalis, systema oriri praestabilitum in iuvenum tam fl xili mente, quo, tirocinio confecto, ad theoretica tamquam ad saxum ipsi adhaerescunt, et quamvis experientia contrarium edoceat, quae tenellis animis primum insederunt, vix unquam mutare patiuntur, nonnullo cum aegrorum detimento. Quapropter, inverso institutionis ordine, post clinicas observationes aptius esse pathologiae excolenda tempus, atque tunc ad inductiones in observationum vi et fide mentis vires esse intendendas arbitrabantur. Hac veluti aequatione unica problema bimembre solutum dedere.

Cui sententiae res ipsa nos assentiri iuberet si de novis inductionibus et principiis inveniendis et statuendis ageretur, et non de iis tradendis, quae dudum recepta, crebra observatione sunt confirmata, et morborum faciliorem diagnosim et curationem reddunt. Si his prorsus careremus, a novis profecto observatis et experimento subiectis ea essent desumenda; at medicæ scientiae conditio non est tam misera et infelix ut post viginti et amplius saeculorum intercapelinem et post tot tantosque labores illis principiis omnino destituatur.

Quare cum mihi diversa esset opinio, alia sociis di-  
iudicanda dedi rationum momenta. Dixi enim «a pau-  
cis observatis et experientia compertis mens ad legi-  
timas inductiones et principia ascendere nequit. Cum  
enim Natura sit in phoenomenis fluxa et variabilis, vel  
in illis paucis factis subsistere deberemus, vel in erro-  
rem incidere, in quem unius vel alterius facti obser-  
vatio nos ad generalia properantes saepissime pree-  
cipitat. Neque docentis peritia his difficultatibus ob-  
viam iret, nam clinica lectio, quatenus talis est, ad pecu-  
liare factum esset limitanda. Ipsa repetita observa-  
tio, nullo praeposito principio cognoscitivo, parum es-  
set intelligibilis, quia haud exacta esset eius intima  
cognitio, ideoque nec vere similes casus dignoscere  
possemus. Alias aliquid fere empiricum induceret, et  
tamquam circulo vecti eodem unde modo abivimus  
proni reduceremur. Facilius ab unius vel alterius  
casus apparenti similitudine, posthabitatis quae vere  
dissimilia sunt, propera surgeret opinio generalis, a  
qua discentes continere oportet, expresse docendo ut  
a temeritate hypothesis ulteriore progressu aliquos in errores  
ducit, et fere uti in divergentibus lineis, a veritatis  
tramite seducit. Hac igitur methodo frustra ad in-  
ductiones properaremus vel precarie a paucis factis  
concludentes Sysiphi saxum volvere conaremur.

Rectius igitur et utilius erit, conclusi, inductio-

nes et principia pathologica, quae per severas observationes constiterunt et ab ipsa rerum natura lente et patienter interrogata deducta fuerunt, clinicis lectionibus praemittere ».

Quibus allatis, postquam socii sua de sententia in meam iverunt, Salernum petii et, oratione inaugurali habita, hanc methodum proposui, quam mox sum sequutus.

Ut vero pauca de ipsa Pathologiae institutione delibemus, plura omittenda erunt, in quibus pathologi ut systemata concinnarent, ingenium exercuerunt vel potius torserunt. Haec enim, quamvis per aliquod tempus recepta, paulo tamen post periere et suis ipsis ruinis sunt obruta. Neque excipiendae sunt theoriae quae nostros tenent dies, nisi, a constanti experientia sancitae felici eventu in praxi coronentur. Sed o quanta inter neotericos de intima morborum natura indaganda, gloriolae captandae causa, fervet cupidus ! Saepe observationes ipsae in praestabilitam ideam, veluti super Procustae lectum, sunt distentae et menuratae, vel multum a paucis factis desumptum, vel imaginatione et ingenii agitatione aliquid effectum eis appositum fuit. Sed melius est naturam in facta dissecare, quam ab ipsis abstracta decerpere.

Ut igitur ad solidas Pathologiae institutiones nos convertamus, eas ab anatomia pathologica generali ad scopum clinicum coordinata incipiamus. Haec huius

scientiae directio plurimas diagnosis difficultates e medio tollit et curationis vias explanat. Verumtamen haec scientia omnibus morbis applicari nequit. Multa enim sanguinis et nervorum vitia sunt etiamnum incompta, et quamvis verisimile sit in illis etiam organicas esse mutationes, ipsae tamen adhuc latent, ideoque ad scientiam non pertinent.

Quicquid ad aegros recte examinando chemia, microscopium, electricum nuperrime contulerunt minutum est explicandum, examine ipsis discipulis postea commisso, ut rectioribus semiologiae notionibus imbuantur.

Ut vero progressus legi notiones subiiciamus vel aliquid ad eius scopum conferamus, de cathedrae cancellis exeamus et nova huius scientiae super animalia experimenta moliamur, cautione de iis recte instituendis et iudicandis adhibita. Eiusmodi enim tentamina morbosas mutationes inducunt, quae melius quam illae quae naturales sunt possunt investigari, dummodo diversi organismi ratio habeatur. Nervorum irritationes diversimode inducere, heterologas materias in sanguinem iniicere etc. opus erit. In nervis enim et in sanguine, uti est vitae summa, ita etiam ut plurimum sunt morborum sedes et causae. At nonnisi post laboriosam experimenti variationem acquiescemos, et, si inventa expectationi non respondent, alia methodo per seriem et continenter ex-

perimenta repetamus. Hoc pacto non solum scientiam tradere, sed obulum in progressus aerarium conicere poterimus.

Pathologia specialis sive descriptiva maxima ex parte cathedrali labore indiget. Sed, priusquam cuiusque organi morbos delineamus, anatomicas et physiologicas ipsius organi notiones renovemus. Eiusmodi prodromum has lectiones dilucidare et fructuosiores reddere est certum. Mox illis lineamentis morbos describamus, quae constanter et quasi necessario ex morbo processu derivant; ita ut morbus talis inspi ciatur in praxi, qualis vivis coloribus, ceu fidelis naturae imago, descriptus fuerat. Non causarum acer vum, qui communiter in libris profertur, sed eas tan tummodo, quae, observatione et experientia docente, cum pathologica conditione connectuntur, excipiamus.

Interea discentium comitatu Salerni nosocomia ex currere opus erit, ut morborum facies sicuti in natura est, licet obiter, inspiciatur. Plus enim luminis in rebus inspectis esse quam in ipsa vera earum histo ria est notum. Sed aegrorum inspectio, licet transi toria et praematura, multo etiam erit adiumento, ut, spectata morborum effigie, haud novi hospites in clinicas aedes discentes ingrediantur.

Clinicas exercitationes suscepturi plus operis in hanc studiorum metu impendamus. Ecclectici et ab omnibus systematum vinculis liberi aegrorum lectulo

fasces submittere debemus. Aeger enim est perennis medicinae fons, a quo prima saecula medendi atem hauserunt, et postera semper auctam haurient.

Observationes notatu digniores, quisquis morborum fuerit exitus, in tabellas collectas conferamus, iudicij acumine meditemur: quid simile vel dissimile ad ae-gros melius curandos contineant perpendamus, conclusiones alumnis explicemus. Si in dubia vel difficultia de interioribus rebus incidimus, a posteriori, scilicet post exitum salutis vel mortis, re intimius perspecta, verius quam a priori ea dilucidare poterimus. Eventum pro consultissimo iudice habebimus.

Morbos natura et arte insanabiles, et innoxios, naturales ut ita dicam, dignoscere oportet, utrosque remediis perturbantibus tentare nefas. Quoad insanabiles, ut tollerabiles fiant vires tuendae, dolores sunt mitigandi. Quod ad innoxios attinet, partes quae sanae manent longe excedunt morbosas, hinc salutari quae praepollent vi has in pristinum restituunt. Corpus tantum retinet pristinae facultatis, ut propriis viribus morbosam conditionem in sanam immutet. Multum vero interest hos morbos dignoscere, quod eos curare oportet non quavis artificiosa medela, sed expectatio-ne; expectando scilicet usque dum naturae vis morbum fregerit. At enim huiusmodi aegrorum, qui naturae magisterio incolumes evaserunt, sanationem nostris remediis tribuimus, nubem pro Junone amplexi.

Hac occasione limites inter naturae et artis potentiam sedulo distinguamus, et praecipuam medendi rationem in eo ut remedia ipsi naturae nisui sint congrua statuamus. Naturam rerum magistram sequamur.

Morbos etiam, qui licet rite et recte curati, ad sinistrum tamen exitum duxerunt enucleemus. Sicut navis, licet scientissimo gubernatore utatur, non semper confidere potest cursum suum, cum ventis, tempestibus, turbinibus inter scopulos et syrtes feratur, idem saepe aegrotis evenit, quanvis peritissimo medico commissis. Facile enim morbi ex cathedra vel ex libris sanantur, in lectis vero saepius aegri moriuntur. Sed quae nobis sinistre successerunt ne reticeamus; haud raro ea plus afferent utilitatis quam felix eventus. Erunt admonitionis loco, ut artis limites melius agnoscamus, vel potiora adhibeamus remedia, vel quosdam lapides in posterum vitemus.

Nova denique in clinicis aedibus, ubi est observationum fodina inexhausta, erunt inspicienda vel ut obscura dilucidemus, vel ut nova detegamus. Identidem a nobis ipsis sciscitemur non quot aegrotos inviserimus, sed quem progressum in morborum diagnosis et curatione fecerimus. Non enim numerandae sed perpendendae observationes. Quibus collatis, epocrism quotannis de iis quae nove observata vel experientia comperta sunt, typis mandemus.

Ut Scholae Salernitanae decus renovetur cathedra

materiae medicae, quae ab antiquis huius Scolae Auctoribus p̄ae caeteris fuit exculta, erit instituenda.

Haec scientia, quae cum clinica institutione sticte nectitur, dum facilis creditur, reipsa difficultatib⁹ implicata, quandoque tenebris est obsita.

Simplicia et pauca remedia ut plurimum ea uorum virtutes experientia et longo usu comproata fuere adhibeamus. Haec ipsa summi practici conomuerunt. Nimis complexa, quamvis specioso titul insignita, vitemus: ea enim non solum morbos noſa-  
nant sed salutares naturae vires impediunt, n̄va saepius incommoda suscitant. Neque convivas intemur qui a cibis simplicibus et boni succi abhorrot, compositis contra delectantur atque in iis se ingurgitant. Interea complures offendimus qui vulgatis em-  
positis non satis contenti novis et inconcinnis miselis se addicunt. Remediorum acervum vel tumultuarim quavis fere hora praebitionem, velut inutilem sape etiam noxiā reiiciamus. Sancte profiteor me iner illos esse, qui non omnes veterum medelas oblivini dandas esse existimant. Hinc nonnulla salutaria, qae novatorum libitu in desuetudinem abiere vel ex medico foro sunt proscripta velut a postliminio revoe-  
mus. Usitatiora item vel veterana remedia in re a-  
bia potius administremus. Eorum enim vi morbi sa-  
pissime sunt profligati, sicuti veteranis militibus pe-  
multa praelia confecta fuere.

Non tamen antiqua remedia velut idola colamus. Non enim qui antiquis ad remedia invenienda patuit aditus nobis est interclusus, neque credendum est naturam omnia effudisse remedia, et hodie effoetam et sterilem evasisse.

Verum nova remedia non levi et perfunctoria inspectione sed summa diligentia et ferrea patientia erunt exploranda. Experientiam vero sine praeiudicata opinione consulamus, et sciamus ubi oportet consistere, quoties ipsa nondum nos illuminat, vel quando natura se ipsam patefacere recusat. Nullum experimentum semel tantum, sed pluries, multimode, et omni viata errandi occasione, erit instituendum. Numquam enim verum innotuit nisi ex constanti et repetito periculorum eventu. Hac lege neglecta, maximi aliquando viri poenas luerunt.

De ipsa medica venenorum virtute in brutis animalibus instituamus experimenta; sed nihil nisi oculata fide et maxima cum severitate, uti cautum medicum decet, excipiamus. Minime vero prudentem medicum haec experimenta eo adducent ut ex iis, quae animalibus adveniunt, in posterum eadem homini exhibendo pronunciet, vel sine consilio et multa trepidatione ea ad hunc traducat. Absint a nobis illae obtrusae medicae laudes de venenis, quae hodie praestantissimis et securissimis aliis remedii inaudita ferre audacia preeferuntur; ita ut medicinae beneficia

perversa novatorum consuetudine in maleficia convertantur. Absit temeraria novandi libido.

Dum experimenta extendimus , ratiocinatione non abstinebimus: nam nova experimenta non seiunctim, sed comparative, ideoque rationabiliter sunt instituenda. Ad haec qui aliquid inquirit, id ipsum sub aliquo principio vestigat; ipsa experimenti successiva applicatio non est nisi rationalis traductio illius ad aliud experimentum. Verum in observationis et experientiae confiniis ratiocinia contineamus. Neque tempus in explicando intimiores remediorum actiones terramus, sed ad sensibiles effectus considerationes cohibeamus. Neque theoria, neque empiria suum efferat caput.

Cum vero casus non sint omni conditione gemelli, nec ab uno ad alium aegrum in remediis adhibendis, neque ad similia facile transeamus , nisi similitudine penitus perspecta et intellectu ad se corrigendum parato. Alioquin labilis et fallax , saepe cum aegrorum damno erit analogia.

A nimiis demum remedii laudationibus tempemus, et mirabilia, quae multi de eius virtute praedicant, excutiamus. Vel levissimi morbi certum et numquam fallax remedium haud exsistere quilibet sincerus et cordatus medicus tecum fatebitur. Observator vel maxime attentus vix de medicaminis in hoc vel alio corpore saluberrimo effectu et morbi sanatio-

ne certum iudicium pronuntiare poterit. Indigni Aesculapii discipuli, qui sua remedia pro unice veris venditant ad scepticismum invitant vel antiquae satyrae sarcasmos merentur.

Dum remediorum virtutes limitibus coercemus, aeris aprici et rusticani, frugalitatis, mutatae victus vel totius vivendi rationis, ipsius animi medicatrices vires maximi faciamus. *Enimvero ipsarum rerum, quibus sanitas servatur, recto et opportuno usu, saepissime aegri sanitati sunt restituti.* Huiusmodi sunt omnia quibus circumdamur et vivimus; hinc non raro remedium fuit natura universa.

Ad morborum sedes et causas indagandas non longe a clinicis Salerni aedibus distet anatomicum amphitheatrum, in quo quicquid morbosum fuit minuto extispicio perscrutemur. Convocatis auditoribus, qui morbi tractationi adfuerunt, disquiratur solidae ne fuerint naturaeque morbi vere consentaneae quae inter medendum proferebantur diiudicationes. Cui examini nemo erit aptior quam ipse clinicus qui aegroto curando insudavit. Qui enim aegrorum curam gessit, veluti face instructus, intimius cadaver perlustrare, et bina observationum momenta ad morbi sedem, causam, naturam aliaque id genus detegenda conferre poterit. Verum si partium vitia non qualia praevista talia reperta erunt ne idcirco animum despondeamus, nam illa diagnosis, licet erronea, in hoc tamen erit

plusquam proficua, ut scilicet ad meliora diiudicanda mentem extollamus et huiusmodi lapsum vitemus in casu simili ac dissimili.

Eiusmodi indaginum maior erit fructus, si morbi primordia vel elementa, quae efficaciori vel aptiori medela amoveri poterant, vel processus ab ipsa natura ad sanationem inchoatos deprehendimus. Tunc enim meliora efficere, vel ipsius naturae vestigia premere poterimus. Plerumque vero cadaveris sectio laesiones insuperabiles, earumque progressus et causam nostrae impotentiae ostendit. Id ipsum valde interest, nam dat nobis criteria ut minime expectata, vel mortem eiusque horam praedicere possimus. Hoc pacto scientia artem honestabit.

Ut progressus vias heic etiam tentemus, microscopii et chemiae ope sanguinis et lymphae penitiora vitia perscrutemur. Hoc scrutinio ex stricti solidismi confiniis egredi, et aliquid novi de humorum morbis, quod aliorum oculos effugit, in ipso facto anatomico attingere poterimus.

Feliciter chemia et microscopium ad Anatomiae Pathologicae progressum hodie adhibentur. Sicut nautica acu ad maria traiicienda novasque orbis regiones detegendas utimur, ita his subsidiis ignota vitia organica recludere poterimus. Sed ipsius chemiae et microscopii intempestivus erit usus, si morborum curationi aliquid officiat.

Ut rem exemplo confirmem, detectis microscopii ope minimis fungis in morbis epidemicis, en neoterici velut ad portentum excitati, confessim eos in epidemiae causa et contagii seminio esse asseverarunt, licet nulla extiterint criteria de eorum vi causalit et contagio ad hos morbos producendos. Quid fit? Ad illos ipsos fungos praecavendos vel abigendos tota curationis ratio est conversa. Magis dolendum fuit quod, excepta nova theoria cum plausu (quid novum hodie non plauditur?), in illis fungis extollendis, ipsisque, qui minimi erant, maximos effectus tribuendis, quamplurimi etiam docti medici novitatis amore abrepti se ipsos dedicarunt. Loco epidemicae scientiae, bacillorum ludum habuimus.

Sed si epidemiarum facta latius et intimius consideremus, illos minimos fungos inter ipsius morbi producta vel coincidentia habebimus. Coincidentia vero, licet frequentissima, non idcirco ad causae gradum evehi possunt. Quare, si verius et utilius hunc scientiae campum exquirere velimus, nostram inscitiam de intima epidemiarum efficienti causa fassi, ad historicas et clinicas earum leges nos convertamus. Hoc rei studio meliora profecto de epidemiis praecavendis et curandis colligemus.

Ut unde divertimus redeamus, id generatim de chemiae et microscopii usu adserere non dubitamus, multum, scilicet, etiamnum abesse ut haec auxilia valde

ad promovendam scientiam apta, pariter ad medendi artem conferant.

Cathedra etiam medicinae forensis et publicae hygienis, quae scientiae rei publicae maxime intersunt, in Salernitano Lyceo erit excitanda. In ea praesertim practica toxicologia erit explananda. Quoties enim opidorum medici tardam peritissimi chimici ad venena detegenda operam quaesiverunt, toties, evanidis primis beneficii indicis, crimen inultum dimissum fuit. Altiores de animi morbis disquisitiones peragamus, ut discentes de ipsis ad criminis culpam facile reinvendam vel admittendam severas cautiones adhibeant. Ad haec quicquid arduum in Salerni Foro de hac scientia agitatur, in nostra schola discutere, et pro re nata, ad cadaverum legales sectiones opus erit discentes deducere, ut eos rationem haec extispicia rite instituendi et recte de eis iudicandi doceamus. Verum in omnibus, huius scientiae rebus, quodlibet hypothesis vestigium reiiciamus; ne, falso principio in ipsam legum applicationem immisso, funestus error in aequitatis vel iustitiae detrimentum irrepatur.

Inter haec non inculti erunt progressus flores si bruta suspensioni, mephitici, submersioni aliisque id genus experimentis subiiciamus, effectus in organis, in sanguine, in nervis ope cultri, chemiae, et microscopii investigaturi. Cum vero haec scientia fere tota in applicatione consistat, id heic solemne sit, ut in

quaestionibus solvendis observationem et experientiam velut iudices habeamus.

Huic cathedrae aliud etiam non minoris momenti pensum, publica nempe hygiene et publica medicina erit adiungendum.

Dignior sane scientiae scopus est populares morbos praecavere, cum facilius et praestantius sit populi sanitatem tueri vel conservare, quam corruptam restituere. Hinc studium nostrum continua reputazione est intendendum ut hanc metam attingamus.

Sed illud hac in re fuit incomodum quod dum noxiis physico-cosmicis conditionibus vestigandis attendimus, endemiae et epidemiae doctrinas parvi facimus vel fere neglectas habemus.

Speciale in idcirco climatis influxum et peculiares Salernitanae regionis morbos persequamur. Coeli enim diversitatem et climatum vim ad morborum varietas inducendas valde influere experientia constat.

Salerni igitur et finitimas regiones paragremus, ubi aeris, aquarum, locorum vivendi rationes et similia inquiramus, et endemios morbos inde oriundos cognoscamus.

Paestum non procul a Salernitano agro distans, ubi pulcra olim erant roseta, nunc palustrium exhalationum emporium perlustremus. Notum sane est ibi palustres morbos proteiformi aspectu et tristiore exitu grassari. Quare ibidem, palustrium aegritudinum na-

tura intimius perspecta, earum curationem felicius ubique efficere poterimus. Neque hoc satis. Quid in illa regione obsit, quid magis cavendum, quibus artis praesidiis id morborum genus a Paestano agro averruncari possit Provinciae Rectoribus proponere nostri munieris pars melior erit.

Premium itineris suscepti erit si collectis rerum notitiis discentes imbuamus, ut qui in eiusdem regionis oppidis vel similibus medendi artem erunt facturi ad lares patrios revertantur medendi arte instructi de iis etiam, quae terris, aquis et locis, quod attinet ad morbos inde oriundos, insunt.

Pari studio quae ad epidemias attinent erunt traddenda. Sed si id morborum genus saevius regionem invaserit, nos ipsi antesignani eo accedamus. Cumque gravior morbus epidemicus intensiorem operam exigat, comites quos nobis elegimus discentes, dum nos huc illuc accurrimus, methodo ad morbum curandum imbutos vicaria opera adhibeamus. Hoc pacto aegris promptiori adiumento, discipulis maiori instructioni, publicae calamitati potiori subsidio erimus.

Sed si per annorum seriem epidemicum seminium latuerit, nova et immani vi solet erumpere, neque victimis, nisi consummata strage, exsatiari.

Tunc vario, ob insolita et saeva symptomata nomine solet appellari, sicut tyranni variis horridis titulis insigniri solent, ut ex iis etiam eorum crudelitas

indicetur. At nos nequaquam sinamus aegros tristi fato relinqu. Spreto contagii vano timore, et christiana charitate accensi curas et sollicitudines pro aegrotis augeamus. Quo plus operae et studii in iis curandis impendimus, eo frequentiores sanitati restituemus. Dolendum vero est tunc temporis medicos magni etiam nominis, epidemiam a longinquo nescio quo littore per contagium transvectam pronuntiare, et aucto in populis terrore, inania quaedam praeservantia commendare. Hinc aegris, quod peius, a suis ipsis familiis ob contagii metum segregatis et derelictis, dubius haereo an miseri ex morbo vel ex nullis curis et desertione moriantur. Sed spero fore ut sensim, aboluta contagiorum credulitate, eiusmodi aegri omni studio et pietate curati ex hoc ipso vitent libitinam. De hoc progressu aetas nostra gloriari poterit.

Ut ad illas saevas et contagiosas epidemias redeam, notatu est dignum quod, si earum historiam introspicimus, facile eas ab antiquis delineatas cognoscere poterimus. Quocirca ab iisdem causis et ab eadem radice eas succrevisse intelligemus. Propterea diversa epidemiarum schemata non epidemias diversas nostra aetate apparuisse iure contendimus. Unde serius ocios earum ferociam vario sub aspectu renovatum iri, timere debemus. Deus nos incolumes servet.

Inter haec febrim cuiusvis gravioris et ferae epidemiae matrem fuisse, ipsamque novis, saevis vel ano-

malis formis peritos saepe medicos illusisse animad-  
vertimus. Revera illa epidemia, retuso paulatim im-  
petu, in regularem typum et consuetas febrium formas  
iugiter abiit. Tunc quanta fuerit affinitas et cognatio  
illius novae epidemiae cum praegressis erit manife-  
stum. Hoc principium in arduis epidemiarum rebus et  
in earum recta curatione instituenda, si quid in me  
iudicii est, velut Ariadneum filum erit.

Quibus perpensis, verosimile mihi est non a dissitis  
locis novas saevasque epidemias ad nos venisse, sed  
humano generi, uti etiam animantibus, varia sub for-  
ma et saevitie coaevas, humanae et animali naturae,  
quoque aevo identidem tristem necessitatem fuisse.

Sed de eiusmodi rebus plura praefari nequeo. Ar-  
gumentum in mea epidemiarum Historia Comparata  
ex professo tractavi.

Omnibus praedictis studiis confectis, non adhuc in-  
determinatos casus novitio medico committere pote-  
rimus. In re enim medica quae optima ex scholis sunt  
hausta individuis sunt adtemperanda. Hinc practicus  
alumnatus in Salerni nosocomiis erit instituendus.

In hoc tirocinio alumnus sub medici consummatae  
peritia directione varias aegrorum conditiones, in-  
tricatas morborum complexiones et exitus, medendi  
in individuis rationes, cadaverica reperta aliaque id  
genus continuo scrutetur. Magister ei sit dux et  
viam habitumque paret de aegrotis recte, pro re na-

ta, iudicandis. Quibus instructus in extemporanea occasione positus aegris curandis non erit impar. Et sicuti in civili re advocati ingenium non proiectum, in litis crisi positum se acuit et rei urgenti bene prospicit, sic noster alumnus a praesenti necessitate excitatus aegrotis recte consulere sciet.

Proprio denique marte aegritudines dignoscere et curare sub Magistri et sociorum laude vel censura suscipiet. Quibus polyclinicis exercitationibus assuetus ad tuendam suorum civium valetudinem non perfunditorie, et pede vix in praxim immisso, sed probatus et auspicato accedere, et ad servandam populorum sanitatem se accingere poterit.

Alumni scientia arteque medendi informati vitam vel modos in medicina exercenda ad recti normam revocemus. Non sit, ei cominendemus, velox, audax, leviculus in medendo, nimius in loquendo, sed cunctabundus, prudens, gravis, veri amator. Non parum illi damnandi sunt qui flexuosis meandris, verborum apparatu, et ampullis, ut multum sapere videantur, non vulgi modo suffragia petere, sed eruditos tenere satagunt. Tunc ubi est illa dignitas, illa modestia, ille veritatis cultus, quae non minus resulgere debent in medico quam ipsa scientia?

Alia vero in Salernitano Lyceo studiorum Instituta non erunt augenda, quippe quae ad Neapolis Universitatem potius pertinent. Satius fuit res quae condi-

tioni et statui Salernitani Lycei respondent propo-  
suisse. Si altiora indicarem desiderii altitudo ita fac-  
tum exsuperaret, ut potius idealem typum ostendisse  
viderer, quam quidquam reale instaurari possit.

Res ipsa, de qua agimus, exigit ut in Salernitano,  
Lyceo omnis regionis et Provinciarum a confiniis rei  
medicae studia, veluti ad centrum tendant, ideoqne  
caveatur ne studiosi in privatis scholis versentur, pu-  
blico Lyceo posthabito. In privatis enim Gymnasiis,  
ait Vicus, particulari aliquo abripimur saeculo, cuius  
fluxa studia ut oriuntur, sic occidunt, et repente adul-  
ta repente consernescunt. Absit tamen ut privata stu-  
dia et liberam docendi rationem generaliter reiiciam.  
Haec enim ad scientiae finem bene directa et, gene-  
rosa aemulatione adiuvante, quis dubitat magni fa-  
cienda esse? Verum facta nostris diebus tantae spei  
parum favent; hinc in publicis Lyceis rei medicae stu-  
dia firmari et augeri colligimus.

Ut pristinum Scholae decus renovare possimus, alia  
quae rem expeditum non erunt omittenda.

Multis in terris scientiae studia obfuscata per do-  
ctorum societates splendorem recuperasse novimus.  
Sic in Hispania, Gallia, Britania, Lusitania, in ipsa  
Italia est factum. Collatis enim studiis, scientiae po-  
meriis proferendis Academicī egregiam navarunt ope-  
ram. Non obvia et antiqua, verum difficilia et no-  
va, neque magis curiosa quam fructuosa, utilia potius  
quam subtilia erunt tractanda.

Nihil fieri poterit auspiciatus quam si quisque socius, alias ad aliam medicinae partem exornandam et locupletandam incumbat, vel si novum argumentum elucubrandum sibi sumat et opus de eo conscribat. Labor, etsi ad unius magistri ectypum formatus, acriori iudicio totius societatis subiectus perficitur. Nihil auspiciatus, si sociorum singuli singula argumenta sibi eligentes, medicam Enciclopediam Salernitanam componendam suscipiant. Coniunctis laboribus ad Scholae decus conferent et non solum de hodierna scientia optime mereri sed labores veterum eiusdem Scholae Auctorum qui in commune scripserunt aemulari poterunt.

His accedit ut Salernitanae Scholae Auctorum edita et inedita ex omni litterario orbe collecta in Salernitani Lycei bibliotheca serventur. In ipsis nobilium Salerni familiarum scriniis, uti mihi est notum, non pauca iacent eiusmodi manuscripta, et miserum certe est haec monumenta in tenebris et pulvere delitescere. Sed iuris patrii est exigere ut illa in lucem prodeant et ab eruditis dilucidentur. Quid solatii esse potest ex horum operum possessione, quae a plerisque ignorantur, et ex quibus nullus in patriam honor nullumque profluit emolumentum? Non mihi blandiri puto, si pro certo habeo, Salerni et regionis Salernitanae cives huic desiderio assensuros, et manuscripta Lycei bibliothecae esse donatuos. Non deerunt pro-

fecto, qui de illustrandis his Scholae monumentis erunt solliciti. Manuscripta typis committere, et editos libros eorum ope nativae puritati restituere nostrum erit. Utinam vero omnia edita et inedita in collectionem unam possimus resarcire ! Hoc Scholae Salernitanae Scriptorum Corpus maximum nostrae Scholae esset monumentum.


Sed, ut ad finem renovandae Scholae Salernitanae gloriae reipsa perveniamus, id superest quod Ferdinandi II munificentissimi Regis voluntatem exoremus ut Salerni Lyceum praedictis scientiarum naturalium Museis, novis cathedris augere et academicas facultates extendere velit. Imitetur, rogamus, exempla Conradi IV, Ladislai, Alphonsi I Aragoniae, qui Scholae Salernitanae egregie faverunt. Sicut fruges bonitate soli coelique temperatione exsuperant, haud secus ex Principum benignitate scientiae Instituta efflorescunt. Sed non est ut Regem exoremus, indubius enim documentis constat ipsum sponte scientiae patrocinium suscepisse.

Praecipuum denique ad Salernitane Scholae gloriam restituendam fundamentum in eo erit ut Christi Religionem inter discentes proferamus. Cum enim antiquae Scholae Magistri non minus scientiam, quam religionem professi ad gloriae fastigium Scholam perduxerint, id ipsum nobis suadet, si Scholae decus renovare velimus, necesse esse ipsorum religiosis vestigiis insistere.

Quicquid saeculum adversus Religionem blateret, et iuvenum ingenia ab ea abducere conetur, cum natura humana sit immutabilis sibique constans, Religionis vis, nihil fallor, numquam erit in humano corde defutura, nec salutares effectus in ipsa scientiae cultura producere desistet. Dum igitur promovendae scientiae studemus, Religionem in dissentium animo augeamus, et pristinam gloriam Salernitanae Scholae restitutum iri procul dubio videbimus.

Sed huius gloriae restitutio etiam in vestra manu est, rei medicae Studiosi, qui heic adestis. Non enim perfecta scientiae explicatio a preelectionibus petenda est, nec via ad eam patet, nisi labore et diligentia vestra. Nos nihil aliud agimus quam si fertilem regionem vestris oculis viasque ad illam ducentes ostenderemus.

Itaque Vos ipsi conaminor ad studia observationis et experientiae. Ardui certe sunt nostrae scientiae progressus, sed quid non adsequitur determinata voluntas, quid non superat continuatus labor? Nulla igitur vos deterreat difficultas, quin potius ad maiora audenda vestrum stimulet et acuat ingenium. Audendo enim agendoque preeclarum quodlibet conficitur. Atque ita, vobis ipsis mirantibus, maiora vestris viribus insperataque prometis ingenii vestri miracula.



CLARISSIMO VIRO

FRANCISCO PAULO BOZZELLI

INTERNIS REBUS NEAPOLITANI REGNI ADMINISTRANDIS

PRAEPOSITO

Orationem « de Scholae Salernitanae gloria in pristinum restituenda » quam nuper pro publica et solemini studiorum exercitatione in Regio Salernitano Lyceo habui, tibi mittere non dubito. Quod quidem, nisi tuum litteras et scientias promovendi studium scirem, non essem ausus. Vale, praeclare Administer<sup>1)</sup>.

Prid. Non. Septembr. MDCCCXLVIII.

Tui addictissimus  
NICOLAUS SANTORELLI

<sup>1)</sup> Non. Octobr. eiusd. an. pro responso habuimus decreto sanxisse ut oratio Lycei impensa typis mandaretur, et ego iam pathologiae professor, lectoris etiam Medicinae Forensis et Materiae Medicae interim munere fungerer.

Quae nova munia idib. Novembr. 1848 suscepit.

the first time in the history of the world

that a man has been born who can

see the world as it is, and yet

not be blinded by it.

He is a man who can see

the world as it is, and yet

not be blinded by it.

He is a man who can see

the world as it is, and yet

not be blinded by it.

He is a man who can see

the world as it is, and yet

not be blinded by it.

He is a man who can see

the world as it is, and yet

not be blinded by it.

He is a man who can see

the world as it is, and yet

not be blinded by it.

He is a man who can see

the world as it is, and yet

not be blinded by it.

He is a man who can see

the world as it is, and yet

not be blinded by it.

He is a man who can see

the world as it is, and yet

not be blinded by it.

SCHOLAE SALERNITANAЕ

AUCTORES PRINCIPES

ORATIO

IN REGIO SALERNITANO LYCEO

A NICOLAO SANTORELLI

PATHOLOGIAE PROFESSORE

HABITA

IV. KAL. SEPTEMBR. MDCCCL.



Cum docti viri exteri Scholae Salernitanae Auctores laudibus extulerint eorumque codices adnotacionibus et varia lectione illustraverint, cumque mos in Salernitano Lyceo obtainuerit, ut quotannis pro publica et solemni studiorum exercitatione habeatur oratio, minime haesi quodnam argumentum mihi eligendum esset. Ipsa enim res ut ad ipsos Auctores me converterem postulabat, ne dum exteri eos eorumque opera magni faciunt, nos, qui in ipsa urbe Salernum publice medicinam profitendi, tum medendi facultate utimur, illos silentio praetereamus.

Nullum praeterea argumentum cum nostrae Scholae dignitate strictius coniungi et nostros rei medicae studiosos magis ad studia excitare, quam si eiusdem Scholae Auctores Principes recolerem, sum ratus.

Sed dum huic rei intentiorem operam dabam, non modo occasio sed causa se obtulit eiusdam Scholae characterem et originem deprehendendi. Cumque nonnulli putent Arabas, alii Hebraeos, alii Coenobitas

Salernitanam Scholam fundasse, nihil antiquius habui, quam ipsis Auctorum locis et factis has opiniones refellere, et ea, quae in hac re probabiliora sunt proferre. Quae ad Auctorum principatum statuendum etiam conferre quisque facile assentietur.

Ut de his rebus aptius disseram Auctorum codices pervolvere, et doctorum, qui ed eos dilucidandos insundarunt<sup>1)</sup> collationibus uti opus erit. Opera Auctorum qui in hac Schola floruerent a saeculo decimo ad duodecimum, in aurea scilicet eius aetate, rei ratio evolvere exigit. Illos vero Auctores Scholae Principes habui, qui in medendi arte excelluerunt, et post habitis Arabum opinionibus, doctrinas graeco-latinae colere et expolire, quodque maius est, eas observatione et experientia propria augere praecipue sunt connisi. Unde non solum Scholam propriam fundarunt sed etiam optime de re medica sunt meriti.

Quibus praemissis Gariopontum, Cophonem iuniorum, Petronium, et Archimathaeum, utpote his merititis praeditos, Auctores Principes fuisse ostendam.

<sup>1)</sup> Inter eos Ackerman, Henschel, Daremberg, Haeser sunt recensendi. De Rentium praecipue nomino, quem olim in Salernitanae Scholae antiquitatibus vestigandis socium habui. De Renzi, *Stor. Document.* pag. 210, 253, 262, 296. Hic postea historicus plurimos auctorum codices edidit et rem altius est perscrutatus. Duplici idcirco ratione plura eius cogitata et varias eruditiones inter meas lucubrationes excepti.

Atque initio, tam confertim digni eorum loci mihi occurunt, ut non minima me circumdet cura quoad ea, quae seligere debeam. Sed sicut apes non carpunt omnia, sed flores ad mel conficiendum aptos eligunt, sic nos locis communibus non acquiescemus, sed notatu digniora attingemus.

Primum inter Auctores Principes locum ut Gario-ponto tribuamus, eius librum de febribus expendere oportet.

Accuratus, quam antea factum erat, febrium remissiones, utpote spontaneos naturae ad sanationem conatus, considerat. Inquit enim : « dum febris per intervalla cessat, natura vires resumit; quod tamdiu fit donec bona temperies restituatur. Si autem febres germinentur et duplices fiant, periculosae sunt; omnibus periculosiores, quae nihil dant laxamenti ». Ex quibus legem sistere videtur febres quoisque remittunt, sanabiles fieri. Unde illud clinicum principium desumptum videtur, quo ad remissiones promovendas enixe admittimus.

Sed remissionem non plenam, non mundam, ut ipse ait, a remissione plena rectissime distinguit; utramque dignoscere summopere commendat. « Limpidam remissionem a tranquillitate, sordidam a falsa quiete apprehendimus » dixit. Haec vero maximum portendit periculum « licet enim aeger quiescat, non tamen sine febre est, quin imo febris adest acuta cum ma-

gis ad mortem quam ad vitam properet, et magis a divina manu quam ab humana curari possit ».

Quod quidem verissimum postea neverunt practici, et hodie etiam febrim sine febri, scilicet cum illa falsa quiete ad ineluctabile fatum plerumque duxisse conquerimur. **E**x eo Noster sibi viam aperuit ad cuius-dam vernalis febris tristem indolem discernendam.

Vernalem febrim innocuam, imo etiam utilem et velut naturae remedium a doctis etiam medicis haberi est notum. At Gariopontus febris vernalis intermittentis nothae, seu non verae, quae nihil gravitatis habere mentitur, indolem penitus deprehendit, quando eius sanationem frustra tentasse est fassus. **E**x eo autem hallucinationes de illius febris securitate a medicis, damna ab aegris ipsi febri male confisis amovere, et illum aphorismum « fallax securitas febrium » praenuntiasse est visus.

Limitata febris laude, sudores in febribus salutares a perniciose, quibus aeger dissolvitur, nemo melius distinxit. « Medici ignari, inquit, salutari sudori resistentes, alii diaphoreticos conlaxantes in causa mortis extiterunt. Ut perniciosi reprimi possint, eventiletur aeger hinc atque inde flabellis ventum inferentibus, interdum spongiis aqua frigidissima tinctis et expressis corpus refrigerandum, et si nix affuerit, hac utendum est magis ». Quae insolita medendi ratio neque antea expresse commendata rumores excitare

et noxia facile haberi debuit. At reipsa aegri illis sudoribus exhausti et fere desperata eorum salute, ab exitio ad sanitatem novo et efficaci subsidio sunt revocati.

Febriculam, de qua hodie tantus fit rumor, tot opiniones circumferuntur. Gariopontus novit, inquit enim: «mutatio pulsus febriculae signum confert. Aliqui solius pulsus mutationes, alii etiam non naturalem calorem signa febriculae habuerunt». Gariopontus potius a pulsus mutatione dignoscendam est ratus.

Quibus perpensis, nemo, ut opinor, dubitat quin Garioponti liber de febribus sit magni habendus.

Alia nunc eius opera exploremus. Litterarum detrimento evenit ut in tanta concitatione, quam in decimo quinto saeculo suscitavit typorum inventio, et in tumultuaria tot librorum editione, plurima manuscripta levi negotio aliis quam veris auctoribus sint attributa, et sub illorum nomine in lucem veneriunt. Hinc factum ut nonnulla Garioponti opera sub Galeni nomine sint edita; quae tamen Haller et De Rentius critica exegesi Garioponto restituerunt. Satis ad nostrum finem sit liberum de remedii expertis, et tractatum de simplicibus, qui Garioponto sunt vindicati, attingere. In illo remediorum virtutes praecipue a sua experientia hau sit; in hoc non ea solum, quae ipse, sed etiam, quae auctores receptissimi probaverant, recensuit. Hoc pacto nonnullae antiquorum curationes posteritatis

memoriae sunt traditae. Librum de herbarum virtute, quem De Dynamidiis inscripsit, propriis observationibus innutritivit et illo aevo, quo superiorum saeculorum remedia velut idola habebantur, maior fuit. Hinc De Rentius dixit: « felix fuit Garioponti ausus, qui supra servilem imitationem se extulit ». Id innuerat Malgaigne his verbis: « in Garioponti libris ipsum scribere ex se, et ab antiquis discedere apparent ». Haller ait: « Gariopontus ad propriam experientiam provocat, suoque nomine loquitur ». Quae laudatio non secus ac gravissimum testimonium plus momenti et auctoritatis est habitura.

Eo devenimus, ut nobis exponendum sit quantus in aetiologya excolenda Noster fuerit. Morbi causarum cognitio tanti ei fuit, ut saepe morbum ipsum vocaverit causam. Revera contra causas capitis, contra causas pectoris scribit; ipsas febres causarum nomine appellat, ponendo causam pro effectu. Quod non alia mente fecisse videtur, nisi ut, causa perpensa, facilior ad aegros curandos pateret via. Illud certe contra Methodicos pronuntiavit: « Si morbi causam ignoras, quomodo curas? Si enim nescies an periculosa, an sine periculo sit causa, quid nisi temere facis? ». Et alibi: « doctorum est nosse, providere, et intelligere causas, sed rarorum est intelligere causarum qualitatem; idest quanta est nunc, et qualis et quanta futura sit ».

Ex eo diligentior in posterum cura causis morbo-

rum indagandis est impensa. Quod merito est factum; nam his non perspectis, vix unquam mederi, et contra, intellectis, mala quoque vel gravia tollere aut mitigare facile possumus.

Sed difficillimum est veras causas deprehendere; quandoquidem pericula, quae vitae nostrae imminent, oculis etiam solertissimis se se plerumque subducunt, nec nisi ex occulto adoriuntur.

Cum vero haec sit pars scientiae obscurior, nihil miremur si in ea tot hypotheses irrepserint, quot autores proprio systemate ducti proprias etiam causas sibi effinxerunt. Gariopontus autem non hypotheticas, sed ut plurimum sensibus obvias vel rationi proprie- res exquirere videtur. Per signa enim sensibilia, praecipue ex pulsibus et urinis febrium causas detegere docet. « Ex his, inquit, causae origo intelligitur; illa signa quasi tacite loquuntur ».

Non modo corporis sed animorum morbos, quorum penitiores sunt causae, sub hoc respectn scrutatur. Hinc diversas febres ex diversa animi aegritudine ortas distinguit, quibus singulis medendis diversa remedia moralia, ad animi tumultus sedandos, prout varia pathemata fuerunt in causa, commendat. In quo quis neget magnum fuisse aetiologyae et therapiae momentum?

Non solum itaque inter aetiologos, qui ex causis morbi diagnosim et curationem deducunt, dignum honoris gradum preecepit, sed altioribus huius scientiae rebus principium vel fundamentum posuit.

Quibus Garioponti egregiis meritis non obstat ipsum theoriis dominantibus identidem cessisse; suum enim cuique aetati theoriae genium fuisse, ipsamque scientiam hanc vestem saepe induisse et mutasse iam novimus. Hinc difficillimum est medicinae auctorem invenire, qui ea omnino abstinuerit. Neque obstat naevos eius operibus, quoad praesentem scientiae statum, inveniri; nihil enim fuit simul inventum et perfectum. In physicis praesertim rebus plurima effluxerunt saecula antequam pauca didicerimus. Lente et patienter interrogata est natura, plura eventu inter se collata, coniuncta, et repetita fuere experimenta, ne irrepereret error, utque verum omni ex parte se proderet. Errant igitur qui praeterita tempora ex suis metiuntur, et nihil putant rectum, nisi quod acceptum post longum iter diurnosque labores hodiernae rerum cognitioni congruat. Veteres auctores haud posse iuste aestimare, qui temporum rationem non habeat, pro rato habeamus.

Ut ad Gariopontum redeam, ex eius libris satis apparet ipsum inter illius aetatis theorias plurima sua cogitata et experimenta ita inseruisse ut quasi illas ablueret naevosque purgaret. Hinc facile fuit De Rentio Gariopontum e Reinisi censorio et iniquo iudicio vindicare. Ceterum non defuit Homero suus Zoilus, et acerrimos reprehensores habuere Plato, Aristoteles, Virgilius et Cicero, ut de ceteris sileam.

Si denique aliunde Garioponti scripta expendimus. ipsum opiniones, commenta, aetimologias Arabum ne nominasse quidem, sed graecis latinisque scriptoribus adhaesisse comperimus. Etiam eius libri titulus De Dynamidiis, qui ex graeco fonte derivat, ad medii aevi latinum usum pertinet. Sed omnigenam eius eruditio- nem percurrit De Rentius, et multis ipsius locis in- nixus eam ex Graecis et Latinis promanasse demon- strat. Neque obstat quod Gariopontus, sicut Arabes fecerunt, Galenum saepe sequutus est. Nam absunt a Nostro illae cuiusque verbi importunae et subtile- definitiones, illae continuae distinctiones, perpetuae divisiones, quae Galenismum Arabum constituunt. Abundant contra propriae observationis et experien- tiae additamenta.

Ex quibus Gariopontum non Arabam sed scholam graeco-latinam continuasse colligimus. Cumque plu- rimas suas observationes et experimenta huius scho- lae doctrinis superaddiderit, existimandum est ipsum Scholae Salernitanae fundamenta iecisse. Merito igitur eum inter Salernitanae Scholae Auctores Prin- cipes salutamus.

Secundus inter Auctores Principes locus Cophoni est attribuendus. Quod ut comprobemus, eius opus de arte medendi expendere est opus.

Ex titulo praestantiam libri metiri incipimus. Enim vero medendi ars totius scientiae et laborum est meta

vel maxima ratio. Ad haec, Cophonis Ars medendi non in praceptoribus, sed in ipsa medici opera et recto remediorum usu consistit; argumenti dignitati utilitas methodi qua tractatur accedit.

Priusquam librum pervolverem haec in exordio Cophonis verba attento animo accepi. «Ego, inquit, hoc opus de arte medendi a Cophonis ore suisque et sociorum scriptis compendiose collegi». Ex quibus aliis Cophonem facile seniorem in Schola Salernitana floruisse deduxi. Quod cum fuerit ignotum huius Scholae historicis, qui de Cophone nōnico mentionem faciunt, mihi primo operae pretium fuit, uti De Rentius testatur<sup>1)</sup> alium Cophonem nostrae Scholae vindicare, eumque inter eiusdem Scholae fundatores recensere. Sed ex hoc pretioso loco aliquid insuper ad Scholae historiam faciens collegi; scilicet quod cum hic liber non Cophonum modo, sed sociorum etiam doctrinas comprehendat, Scholae Auctores in societate vel in communi libros conscripsisse dicendum est. Hoc Scholae proprium meritum quod primus, ni fallor, compertum habui, postea ex aliis huiusmodi indicis Henschel et De Rentius comprobarunt.

Sed ad libri capitula progrediamur. Primo multa nobis occurruunt de medendi opportunitate, in qua certe est utilius artis complementum. Praestat enim remedia praesenti aegrorum statui opportune aptare.

<sup>1)</sup> De Renzi, *Stor. Document.* pag. 210.

Hinc Noster diversas aetates, complexiones, vires et quomodo iuxta eas sit medendum, exemplis indicat. « Sunt quidam, inquit, qui propter debilitatem duas medicinas pati non possunt, tunc unam damus, quae trium impleat officium ». In purgativis propinandis diversitatem temporum, humorum, et regionum considerat; purgationem praeparandam esse statuit. « Repentina purgatio, ait, multum nocet, quia et corpus ea debilitatur et plus quandoque de bonis quam de malis expellitur ».

Remediorum usum intimius expendit, quando epigeneses propter remedia male adhibita trutinatur. « Variis saepe molestamur incommodis, dixit, non quia medicina, quae datur, sit incongrua, sed quoniam ab imperitis incongrue est oblata ». Interea quam dedecet medicum putare esse morbi quod ipsius remedii adhibiti fuit effectus, quanta esset eius ignominia? Quamvis personae non scientiae is fuerit defectus, artis tamen opprobrio fieret. Hinc epigeneses explicare, vitare, removere sibi sumpsit. In alio eiusdem saporis tractatu, qui extat in codice Uratslaviae, aptissimas de purgantibus et de activis remediis cautiones apposuit. Actuosa enim remedia, posthabitum recti usus cautelis, facile nocent, et morbo superaddunt morbum, vel spontaneam turbant sanationem. Quae facilius fiunt si natura, ut a se ipsa morbum subigat, est in erethismo. At Noster quomodo eiusmodi vitanda pe-

ricula et, si quae forte contigerint, quibus auxiliis sit occurrentum adnotat. Neque heic silentio transeamus quod, cum Lorry epigeneses propter remedia male inhibita enumeret, Cophonem tamen, qui ab antiquo eadem pertractaverat, ne nominat quidem. Hinc par aequumque est primas de hac re animadversiones Cophoni restituere.

Fateor Cophonem humorali theoriae nimis adhaesisse; remedia tamen utiliora propinare eaque ad rectum usum revocare ipse non desinit. Revera de medicina adhibenda in sanis vel aegris, in locis calidis vel frigidis, in somno vel vigilia, in forti vel debili complexione, de medicinae effectibus nimiis vel paucis et quomodo pro re nata sit succurrentum apta monita profert. Apposita etiam de dieta et custodia in medicina et post medicinam admonet. Omnia ita explicat ut vix quidquam melius quisque nostrae aetatis auctor expendere valuerit.

Cophonis meritum non minus elucescit, quando, dum Hippocratem colit, quosdam eius aphorismos distinguit vel limitibus coerget; quod certe supra ea tempora fuit. Ut unum afferam exemplum; Hippocrates docet: « aestate magis per superiora, hieme magis per inferiora purgandum est»: at Noster addidit: « considerata, tamen habitudine, aetate et morbo ». Hinc Hippocratis sententiam observationi subiicere nihil haesit, et magis naturam, quam maximum naturae interpretem consulere voluit.

Sed maius Cophonis meritum existimare debet, qui totius de arte medendi libri scopum introspiciat; in eo medicina purgativa fere omnem paginam implet. Cuius rei causa, cum librum evolvere coepi, obstupui; nam medicina purgativa nonnisi partiarium locum tenere debet in medendi arte. Quin imo mihi a Capite-Silari, mea patria, venienti, ubi telluris conditiones ad instar locorum palustrium purgantia limitibus circumscribere vel recusare adigunt, et Salernum pententi quaedam in animo erat oppositio ad purgantia adhibenda. Cumque Salerni morbos curare incepisset, reprobans mihi est visus mos medicorum, qui ibidem fere singulis aegritudinis diebus alvum ciere consueverant. Sed non sera observatio me suasit purgantia in quam plurimis Salerni morbis optime opitulari, et in mentem mihi rediit aeris locorumque influxus in remediorum usu determinando. Alvum itaque scientia, uti potissima in urbe Salerno remedia, ipse postea usurpavi, et medendi rationem Cophonis, qui ibidem totus in noxiis humoribus per alvum purgandis fuerat, ratam habui.

Haec vero vel similia frustra in Arabum libris conquisivi. Non me fugit nimis commune praeceptum; scilicet in morborum curatione habendam esse rationem aeris, loci, etc., quod iam dictum est a multis, et per se intelligitur; fortasse etiam in Arabum libris inveniri poterit. Sed aliud certe est haec praece-

pta scribere, et aliud prius invenisse et adhibuisse eam medendi rationem quae aeris, loci, climati, statui incolarum organico sit apta et salutaris. Cophonis igitur studio et operae debemus eam medendi methodum quae in his Salerni conditionibus aptior et utilior fuit. Quod ipsi gloriosum, Salernitanis proficuum, topographicae medicinae cultoribus fuit documentum.

Interea Noster ne in minimum quidem arabicae medicinae vestigium ingreditur. Cuius rei maximum Henschelii testimonium habemus, qui comparando locos Cophonis et Costantini Africani, assidui Arabum sectatoris, non solum ea inter se aperte differre, sed Cophonem nihili Constantini libros habuisse deprehendit.

Ex allatis igitur satis patere arbitror Cophonem iuniorem non Arabum, sed Garioponti exempla secutum, observationi et experientiae se addixisse, ideoque Scholae Salernitanae habitum vel spiritum, ut aiunt, servasse et auxisse. Idcirco eum inter Scholae Auctores Principes merito recensemus.

Si quis illa aetate observationis campum magis coluit, is certe fuit Petronius, diminutivo nomine Petricellus etiam dictus; hinc ipse non minus insignis scientiae cultor inter Salernitanae Scholae Auctores Principes tertius est recolendus.

Et primum exquisito, quo pollebat observandi ingenio, febres curandas esse non secundum materiae morbifcae varietatem, sed iuxta symptomatum

characterem, seu quoad observationis criteria, statuit. Quod quidem aetate, qua medici toti erant in illa hypothetica materia invenienda, quam, quod peius, ad curationis normam efferebant, est notatu dignum. Nec minus de praxi est meritus quando opii usum in febrium intermettintium perfrigeratione adhibuit, et quando tenuem dietam in iisdem febribus damnavit. Hanc dietam illas febres in continuas ab illo usque tempore convertere iudicavit. Sed ampliore observationis studio ad cuiusque morbi curationem accessit.

In eiusdem genii libro, cui titulus « Morborum Curae » paucis de pathologia se expedit, de curandi modis fere omnes implet paginas. Sed, minime conquisito quod alii de curationis methodis opinarentur, ea quae in ipsis aegrorum factis continebantur pervestigavit. Quod illa aetate tam eruditionis et citationum studiosa singulare habemus. Purus hinc observator ab aliorum auctoritate et opinione fere immunis ut plurimum propriam experientiam in lucem profert, et expresse adnota: « Quod utilius consideravi est subscribendum »: Et rursus: « quomodo curari potest et quae feci rescribam ». Non mutam igitur ex libris doctrinam, sed vivam et disertam, quae naturam ipsam habet pro auctore excoluit. Recte de eo De Rentius inquit: « *systema propriae observationis sartum servavit* ». Remedia etiam proprio ingenio confecta adhibuit, quibus nunc utiliora fecisse, nun c.

aegros ad sanitatem duxisse exemplis probat. Rectissimam igitur inivit in medendi arte viam et peritus in remediistum propinandistum, conficlendis melius aegris consuluit. Ut vero quae narrat certiori sanctione firmet saepe hac clausula utitur: « Deum testor, hoc modo complures curavi ». Ex quibus de Salernitana Schola egregie meruisse existimandus est.

Ex quibus, etiam satis evincitur Petronium ab Arabinum opinionibus et commentis prorsus absuisse, et Salernitanae Scholae habitum a Garioponto acceptum servasse et continuasse. Quin imo cum observationis et experientiae methodo strictius adhaeserit, eiusdem Scholae vividior imago vel purior vox fuit. Merito igitur inter Scholae Auctores Principes eum collocavimus.

In quarta Auctorum Principum sede Archimatthaeus est ponendus. Eius opus de instructione medici tam congruit cum illo anonymo Salernitanae synopsis libro « de adventu medici ad aegrotum » ut De Rentius nihil dubitaverit utrum Archimatthaeus illius libri auctor fuerit. Certius est opus de medici instructione ad eius praxim aptissime introducere. Huius practici operis scopum et rationem quam brevissime expediemus.

Auctor ab exordio haec admonet « non de qualibet aegritudine sum dicturus, sed de rebus, quas experientia didici, et in quibus Deus in manu mea optatum posuit effectum ».

Quae in libro de medici instructione generatim tradiderat nunc historica narratione speciatim explicat. In singulis factis diagnosis diligentiae, curationis industriae, medicamina non ex alieno sed ex proprio penu saepius educta, morbi exitus etc.: candide et minutum exponuntur. Magis igitur de medendi arte promeruit, nam in rebus naturalibus individuum maiores notiones continet quam genus, et morbi semper aliquatenus sunt alii, uti semper alii sunt aegrotantes. Quin imo ipse aeger in eodem statu non permanet; uti temporis momenta praeterirent sic varii motus, quibus ad salutem, ad aliud morbum vel ad supremum diem impellitur, continuo subsequuntur. Quare rectissime Noster morborum simultanea et successiva vel minima persequitur. Nullum praeterea nosologicum ordinem servat; clinicae enim rei proprius intentus, uti ei casus promiscue et occasione occurserunt ita eos refert. Praemittit solummodo Salerni morbos vulgariores, quod ut Salernitanae praxi aptius inserviret factum videtur. Id magis admiramur.

Quanta vero sit huiusmodi narrationum utilitas quisque intelliget, si in mentem revocet cuiusmodi natalitia medendi ars iam olim fuerit sortita, ne dicam quantum fructum ille qui in eiusmodi pulvere versatur colligere quoque tempore possit.

Notatu etiam est dignum quod in aegrorum historia delineanda non disserit sed simpliciter narrat. Tam

viva est pictura, ut vel ipsa aegrorum lineamenta exprimat; eos praesentes et coram intueri videtur. In remediis adhibendis nimiam expectationem, maiori cautione intempestiva et inania remedia declinavit. Illud Leonardi a Capua severe sed vere dictum praeparasse est **visus «medicorum eum esse optimum, qui minus remediis utitur ».**

Non puto a me exigi ut singula in capitulis contenta exponam; notabilem vero clausolam, qua ad res comprobandas est usus non praetermittam. Passim « uti probavimus » « uti experti sumus » repetere non desinit. Unde sinceram eius experientiam fas et comprehendere.

Discipulos quorum prae oculis aegrotos curavit, veluti curationum testes alloqui, ipsosque manu ducere et ponere vestigia quae persequerentur est visus. Id ipsum etiam fecisse videtur ut eis Salernitanam praxim sartam postea servandam tradaret. Unde recte, uti videtur, De Rentius hunc librum verum rei clinicae tractatum et primum in medio aevo huius scientiae exemplum habuit.

Quanto autem in pretio huius scientiae incunabula sint habenda per se patet, neque est dubitandum quin clinici ex hoc fonte rivulos fuerint hausuri, et clinica historia Nostrum magna laude sit prosecutura. Certe ipse in hoc opere insigne sibi paravit honoris apud posteros documentum; ideoque cum rei medicae dispen-

dio fuisse putamus, si quid, vel minimum de Auctoris scriptis temporis iniuria interciderit.

Cum vero agitata sit quaestio, quae, adhuc insoluta habetur, de Clinicae primordiis et de loco in quo eius institutio sit orta, quin saeculo XV et XVI institutionis principia tribuamus, et de natalitio loco disputemus, et quin aliquid famae illorum seculorum huius scientiae cultoribus detrahamus, clinicae tamen institutionis originem nostro Auctori et nostra Scholae attribuendam esse contendimus.

Ex quibus etiam Nostrum arabica elementa respusse et Scholae spiritum integrum servasse, imo etiam auxisse patet. Ut summatim res huius auctoris exprimam, inquam, ipsum ita se gessisse velut si societatem cum aliis Scholae Principibus ad Scholae fundamenta iacienda, et incrementa curanda iniisset. Ut itaque eorum ingenium et acta paucis complectar, dicam, ipsos non Arabis sed graeco-latinis scriptoribus adhaesisse, et, superadditis ex proprio penu observationibus experientiaque compertis, autonomam Scholam constituisse. Ex omnibus vero quae diximus, ipsos Salernitanae Scholae Auctores Principes fuisse iure meritoque concludimus.

Quae cum ita sint mihi videor, Auditores, ex ipso vestro vultu cernere vos illis temporibus quasi invidere, ita ut Auctores Principes, qui ex ipsis nostris sedibus docuere nosse, una cum ipsis vivere, eos audi-

re, et, praelucente eorum scientiae illuminato calle, pergere cupiatis. Id ipsum nos ipsi optamus. Sed cum a tot saeculis naturae debitum reddiderint, oculis insipientium visi sunt mori. Nos vero non ut mortuos, sed maxime viventes eos habemus. Vivunt enim eorum scripta ingeniorum vel laborum imagines, et vivent dum ars medendi vigebit aegrisque opus erit salubris medicinae praesidiis. Haec igitur assidua manu versemur, ut ad eorum scientiae et honoris gradum accedere possimus.

Sed ut illuc redeamus unde digressi sumus, quoniam id nobis est etiam propositum ut opinionem de Scholae Salernitanae Arabica fundatione e medio auferamus, alia rationum momenta addere est opus.

Et primo si Arabum primarii etiam auctores tanta Islamismi veneratione capti fuere, ut solius Corani lectione omne scientiae desiderium expleri posse sint rati, quid commune in Scholarum institutione habere poterant cum Nostris, qui propria scientia informati, Christi religionem pro certo fundamento Salernitanae Scholae posuere? Secundo in honorem redit ille Salernitanae Scholae associationis scribendi et docendi habitus, quem paulo ante innuimus. Enimvero, praeter Cophonis exemplum, extat Garioponti Passionarium, seu practica morborum, quod cum sociis in ordinem redegit. Extat Platearii et Nicolai Praepositi liber, in quo etiam sociorum nomine loquuntur. In Platearii

secundi operibus Salernitanae Scholae Auctores consentientes plerumque citantur. Majus est testimonium Aegidii Corbeliensis, qui undecimi saeculi initio, Scholae Magistros concordes in doctrinis docendis testatur. Ad haec Arnaldus Villanovanus tabellas Salernitanas non uni, sed omnibus attribuit Scholae Magistris, qui doctrinas non velut proprias opiniones, sed communi consensu probatas tradiderunt. Neque silentio praetereamus Rogerium, qui Chirurgiae proxim, collatis sociorum doctrinis, scripsisse profitetur. Ex quibus colligimus Nostros ita labores suscepisse, ut coniunctis studiis, opera in consociatione absolverint. Admirabilem itaque Nostrorum consociationem et consensum in scientia nec minus insigne Scholae meritum deprehendimus.

Non deerunt fortasse qui reponant parem auctorum consensum inter Arabes inveniri. Quod si esset verum, non in illo consensu proprium nostrae Scholae meritum fuisset; quin imo sequeretur, quod peius, id ipsum non parvi ponderis pro Arabica nostrae Scholae fundatione esse argumentum.

Verum dissipat difficultatem attenta rei consideratio. Enimvero Arabum libros rimatus eorum quidem consensionem comperi sed eo quod omnes Galeni vestigia presso pede institerunt. Eius enim nomine et auctoritate pro decore et tutamine ad opiniones suas tuendas sunt usi. Saepius quasque Galeni sententias

ad suum propositum spectantes communiter usurparunt vel sicuti oracula , uti ipsis in confessu fuit, habuerunt. Ut plurimum ab eo ne latum quidem unguem discesserunt. Hinc Galeni asseclae in eius verba necessario convenire debebant et ex eo consensum interesse ostendere. Sed haec sequacitas vel servile Galeni imitamentum fuit, non mutua consentio ex iudicii libertate et re explorata. Longe diversus fuit consensus Nostrorum, qui non auctoritate sed observatione ducti, cum observationes scrutati essent et doctrinas inde manentes una expendissent, tum in communi scribere consueverunt.

Nostros etiam Galeni opinionibus saepe accessisse fateor; sed ipsam adhaesionem suis observationibus et experimentis ita ambierunt ut observatio heic etiam dominari videretur. Ceterum Galenicas opiniones sine ulla aliter sentiendi vel contradicendi libertate non acceperunt. Quin imo Nostrorum contra Galenum oppositio non raro nostros ante oculos obversatur. Sic in Petronio, quando de febri putrida agens aperte Galeno contradicit, sic quando Nostri sensibilitatis vitia contra Galeni sententiam retinuerunt. Longus essem si quoties servile Galeni iugum deiecerint et quoties propria observatione et experientia sibi utendum esse praetulerint referrem. Nemo igitur , qui rem attentius scrutatus est inficias ibit Arabum consensionem a Nostrorum consensu toto coelo distare ; et concludere

debemus Arabis consensum in magni nominis cultu, Nostris in communi naturae observatione, Arabis consensum servitutis, Nostris fuisse consensum scientiae.

Quae cum ita sint, quo nomine eos appellabimus, qui nihil aliud quam proprium scientiae possessum, sociis neglectis, ostentant, qui in egoismi finibus se coartant, et abrupto omne inter socios vinculo, vicissim merita arrodunt, laudem detrahunt? Quanto melius Nostrorum exemplum secuti socios in sincerum scientiae consortium vocabimus? Hoc pacto alter alterius ingenium excitare, iudicium acuere, scientiam augere facile poterit. Discemus docebimusque vicissim, et collatis studiis expedire poterimus quae singulorum opera ad effectum nequeunt perduci.

Sed si scriptores Arabas aliunde et generatim respicimus eos ad vulgares opiniones et praeiudicia inclinasse comperimus. Saepe rerum notiones astrologicas, theurgicas, scientiae occultae praestigiis, informi quidem mistura inquinasse constat. A quibus absurdis figmentis quam aliena fuerit nostra Schola non est ut dicam.

Rhasis et Avicennae volumina non esse contemptui habenda ipsosque primarios inter Arabas medicos fuisse non diffitebor. Sed ipsi cum pleraque ex Graecis traxerint, non Graeco textu, sed corruptis versionibus sunt usi; nam graeci codices primo in syriacam linguam, ex hac in arabicam translati fuere. Neque

ipsis doctis medicis Arabis greciae linguae parum peritis contigit, ut plurima menda et vitia purgaverint, vel adversus ea se muniverint. Seriores etiam versiones non minus quam antiquas mendosas vel corruptas fuisse est notum. Quin imo cum Arabes cuiusque scientiae fundum ex Graecis acceperint, eum tot nugis, gerris, frivolisque fabellis contaminarunt, ut non nisi aegre originarium fundum agnoscas.

Longe diversa fuit graeca Nostrorum cultura, qui ex latinis incorruptis versionibus et saepe ab ipso graeco textu eam hauserunt. Scholas enim Graecas, ecclesias graeco ritu et graecas inscriptiones Salerni non defuisse ex documentis De Rentius collegit. Et Ackerman latiori sensu dixit: « habuerunt Itali primis iam temporibus Graecorum medicorum notitiam, eorumque libros in latinam linguam translatos cognoverere». Hinc nihil mirum si Nostrorum scripta passim graecum saporem referant.

Ex quibus aliud inter nostram et arabam scholam discriminem in ipsa graeca cultura comperimus, et novo fulti argumento nostram ab illa neutiquam derivasse concludimus.

Non me fugit nonnullos nostrae Scholae originem Costantino Africano tribuisse. Quamvis vero et alio tempore hanc opinionem multorum ex animis avellere studuerim, haec tamen coniectura tam late serpsit ut in miscellaneis nostrae Scholae historicis se insinuaverit et hodie etiam non paucos teneat.

Verum Salernitanae Scholae ante Constantimum multam dignitatem fuisse ex doctorum testimoniis colligimus. Ipse Ackerman nimius Constantini laudator Salernitanam Scholam antiquorem Constantino, imo meliorem tunc temporis habuit. « Constantini tempora, dixit, temporibus Aegidii nimis vicina sunt, quam ut veteris Scholae famam priscamque gloriam post Constantimum tantis laudibus Aegidius ornare potuisset quantis vere ornavit ». Joannes Sarebriensis duodecimi saeculi medio, hanc Scholam minus famosam illo aevo, quam antea fuisse scripsit. Et Muratorius altius pronuntiavit: « Italianam ad rei medicae gloriam sibi comparandam minime Arabas expectasse ».

Sed quis, ut cum De Rentio dicam, dubitare poterit quin nostra Schola ante Constantimum floruerit, si Rudolphus Malacorona, medio undecimo saeculo, Salernum, ut de medicis rebus disputaret petiit, et expresse dixit: « Salerni in urbe ubi maximae medicorum Scholae ab antiquo tempore habentur »? Quis dubitabit, si Alphanus valde in re medica versatus, cui ipse Constantinus suum librum dicavit, de Salerni Schola dixit: « Tum medicinali tantum florebat in arte? ». De florido igitur Scholae statu ante Constantimum aperte loquitur. Idipsum haud parum confirmatur, si res confirmatione eget, testimonio Olderici Vitalis, qui in undecimi saeculi fine dixit: « in urbe Salerno ubi maximae

medicorum Scholae ab antiquo habentur ». Notatu denique dignissimum est Aegidium Corbelensem, tam antiquum ac sedulum eiusdem Scholae cultorem, Constantini fere nullam mentionem in suis carminibus fecisse.

Quae si ita, uti res est, se habent contra Constantini fundationem iure concludere posse et nihil mihi oppositum iri confido.

Meyerum alia via nostrae Scholae merita impetisse non sum nescius. Hanc Scholam non publicum istitutum, sed privatum medicorum conventum ad instar artificum societatis fuisse autumat, qui Constantini tempore in Scholam proprie dictam est conversus. Miramur primo Petrum Diaconum, Constantini magnum admiratorem, de hoc eius merito tacuisse. Deinde gratuitam analogiam missam faciamus; at bene ordinatam Scholam ante Constantini tempora fuisse ex praedictis auctorum illius aevi locis et testimoniis accipimus. Sed cum Meyeri opinio nulla certa stabilique argumentatione ab ipso prolata innatur, omnes eius conjecturae uno, ut alia taceam, documento corruere videntur. Ineluctabile enim argumentum de Salernitanae Scholae antiquiore origine et publica institutione est, quod usque a saeculi duodecimi initio inter pacta conventa a Rogerio et Salerni civibus firmata haec leguntur: « Collegium seu publicus medicorum conventus a Romanis Imperatoribus permisum et vetustissimis notissimisque privilegiis con-

firmatum etc. ». Ex hoc historico monumento Meyeri opinionem quisque videt prorsus everti. Id tamen nihil decoris operi eius detrahere, neque displiciturum ipsi, utpote veri amantissimo, credimus.

Haud vero existimo vos expectaturos ut demonstrem nostram Scholam a Saracenis Salernum iam pridem irruentibus fundari nequivisse. Ecquis enim vel leviter in historia versatus nescire poterit quam luctuosa fecerint loca, in quae ipsi penetravere? Ubique ferro et flamma grassantes cuncta pessum dedere. Quomodo in urbe Salerno celeberrimam Scholam fundare poterant, qui Alexandriae bibliothecam, qui, Persia subacta, ante omnia libros incendio consumpsere, qui coenobia sacris scientiarum depositis, Italiam antiquis artium operibus, infandum facinus!, spoliaverunt, eaque in barbarum triumphum deportarunt? Si historia tot librorum combustiones ab eis patratas testatur, quomodo hoc hominum genus tam scientiae inimicum Salerni Scholam instituere poterat, quae tam conspicua scientiae sedes, imo domus fuit? Et si pro certo est nullum fuisse certamen tam acre et diuturnum, in quo duo hostes maiore contentione decertarunt, quam illud, quo barbaries cum civili re est congressa, indubitatum etiam erit in Salerni Schola civilitatem victricem fuisse, ideoque eamdem Scholam, nequaquam a Saracenis fundari potuisse. Sed in re tam aperta iam satis multa verba fecisse videor.

Cum satis de Arabica origine reiicienda dixerim, mihi id quoque operis est impositum, alias de eadem origine opiniones scrutari, ut omnia, quae ad rem faciunt, absolvam.

Non unus et alter Scholae fundationem, nescio quo criterio, quatuor attribuerunt Magistris; Helino scilicet, qui Hebraice, Ponto, qui Graece, Adelo, qui Saracenice, Salerno qui Latine; omnes una et primi Salerni medicinam docuere.

Honorifica sane esset haec nostrae Scholae origo, dummodo vera; at falsam quisque eam habebit, si cum De Rentio animadvertiscas, scientiae traditionem quatuor linguis factam non in cuiusque scholae initio, sed in florentiore eius statu accidere potuisse. Ad haec, Hebraeos non solum docendi, sed artem quamcumque exercendi facultate Salerni caruisse ex documentis constat. Praeterea Beniaminus Tudela qui Salernum petiit et Hebraeorum encomia religiose collegit, dum Salernum appellat urbem medicorum scholis illustrem, nihil de hebraica origine innuit, quod certe fecisset, si huius rei vel minimum ei indicium fuisse. Sed non est operaे pretiuм ulterius hanc opinionem refellere.

Coenobiticam etiam fundationem, scilicet a S. Benedicti familia abnuere sum ratus. Quamvis enim hic Ordo medicinae cultores inter sodales suos haberit, et in ipsa urbe Salerno litteris scientiisque fa-

verit, non ideo Salernitanae Scholae institutor fuit. Historicis enim documentis constat S. Benedicti familiam suos alumnos ad medicinam addiscendam in Salerni Scholam misisse, et Desiderium eiusdem familiae Praepositum ex hac Schola medicinae rudimenta accepisse. Ipsi Petrus Diaconus et Leo Ostiensis, qui illius Ordinis gesta recensuere, nihil de nostrae Scholae fundatione illi adscripserunt. Ad haec Haaser et De Rentius Scholae originem laicalem fuisse idoneis argumentis comprobarunt. Plateariorum Salernitanae familia, in qua filius, pater, avus medici fuerunt, Scholam illo aevo laicalem fuisse ostendit. Sed ex historiae analectis et rationibus primam etiam inferioris aevi eiusmodi institutionem laicalem fuisse colligimus.

Quare, dum sancti Benedicti Ordinis in litteris scientiisque colendis et tradendis merita agnosco factorque, ipsum tamen nostram Scholam fundasse. quamvis coenobiticae originis opinioni olim adhaesi, negare nunc cogor. Nec quisquam me reprehendet; multum enim dandum est studiis, quibus res diligenterius expenduntur. Pristina vero commenta retractare tantum abest ut levitatem arguat, ut potius veritatis religionem commendet. Utinam quaecumque alia commentatus sum, possem sub incudem revocare, et, Augustini exemplo, retractationes, ubi est opus, scribere!

Verum id quoque mihi sumpsi, ut, quamvis certa Scholae origo non fuerit memoriae tradita, probabiliora tamen iudicia de ea proferrem. Qua de re, ut recte quidem ait De Rentius. «Si Gariopontus Scholae origini vicinior Graeco-Latinos tantum citat et ex eorum fonte eruditionem hausit, si Petricellus senior dixit» Placuit ut ex graecis locis omnium morborum dogmata in breviloquium latino sermone conscribamus » si primaevae Scholae doctrinae graeco-latinum spiritum saepenumero referunt et nostra Schola tanta ex parte, uti dixit Henschel, fuit Hippocratica, si primi Scholae Scriptores synopsis formam, quae Graecis Latinisque solemnis fuerat, in libris conscribendis servarunt, probabili coniectura et ratione extimandum est Salernitane Scholae fundatores graeco-latina Scholam continuasse. In quam conclusionem eo propensius adducimur, quod a sexto ad duodecimum saeculum nulla sunt Italorum scripta, in quibus non saepe Graeco-Latini auctores citentur; praeterea Graeco-Latini philologi una cum nostrae Scholae auctoribus eodem aevo Salerni floruerunt.

Sed, cum Salerni Schola Graeco-latina inferioris aevi schola, cui successit, longe fuerit potior, si eius originem detegere velimus, eius praestantiae etiam habenda est ratio. Quaevis enim res a sua conditione intimiori dirimi et abicindi nequit.

Cuique autem eruditio Nostrorum libros perlegenti

manifestum est, ipsos graeco-latinas doctrinas saepe emendare vel expolire, saepius ad praxim rectius revocare vel componere, et quod maioris est momenti, uberiora propriae observationis et experientiae ad rem ordinata et digesta, multa proprii et specialis in praxi gustus superaddere. Unde desumendum est, praeavos Salerni doctos medicos valde ulterius, quam Graeco-Latini inferioris aevi processerunt, medendi scientiam coluisse. Cum vero quo maius est scientiae studium, eo maiorem, uti est humani ingenii, propensionem ad eam aliis tradendam sentimus, factum est ut ipsi propriam Scholam fundare susceperint. Hoc maius profecto eius praestantiae fundamentum fuit. Et quod in aedificiis usuvenire videmus, quae firmissimis fundamentis constituta, rebus omnibus probe instructa et ex polita maximam laudis partem ab architectis, quorum opera sunt ex aedificata, repetunt, id ipsum ad nostram Scholam quadrare videtur, cui instituenda illi auctores studuere.

Sed ex Nostrorum studiis non satis Scholae praestantiam explicatam haberemus, nisi illam autonomam auctorum consociationem in doctrinis publice tradendis, in laureis virtute propria dandis, in libris in commune scribendis (quid fructuosius?) ad rem conferamus. Generosum etiam fuit illud scientiae commercium, in quo quisque propria maluit esse communia. Haec nova et singularis communitas, hoc consortium

non graecum, non latinum, non arabicum, sed prorsus Salernitanum fuit.

Omnia christiano spiritu, qui tantum in Salernitana Schola viguit, facta sunt nobiliora. Insignes medii aevi Institutiones christiano influxui praesertim deberi historia abunde nos docet. Idcirco si Schola Salernitana fuit religionis laude florentissima, dicendum est hac luce ipsam praestantiores formam adeptam fuisse.

Ex quibus Salernitanae Scholae originem, nisi certam, prope tamen veram, si iudicio non fallimur, colligere poterimus.

His de Auctorum principatu, et Scholae origine expensis, medicae historiae lacunam, interposita Schola Salernitana, implere et ad historicum progressus scientiae momentum accedere licebit. Obscura enim vel interrupta in medii aevi initio historia medica, et scientia quasi intermortua maneret, si nulla Schola docens tunc fuisset. At Schola Salerni primis undecimi saeculi annis Garioponti et Petrocelli nomine praesertim florens illud vacuum implet. Praeterea, si documentis et monumentis constat, litteras et scientias per solos Italos ex barbaris fluctibus emersisse, sine temeritatis nota asserimus hoc meritum in primis fuisse Salerni auctorum, qui in aevo scientiis infenso graeco-latinae doctrinas complere, plurima sua observata et experimenta ad scientiam facientia superad-

dere sibi sumpserunt. Novas inde res indicare, novas inquisitiones provocare, nonnulla inaccessa tentare valuerunt. Haec nova elementa, velut semina in solo fertili iacta non minus uberes fructus postea ex se extulerunt, quam fruges optimae terrae commissae. Cumque ex his elementis hodiernae scientiae augmentata, uti rerum successio et eventus docuit, sint orta, aestimandum est Nostros non solum novam sibique propriam Scholam instituisse, unde obscura medicae historiae periodus illustratur, sed scientiae progressum praeparasse.

Quae omnia cum ita sint, gaudio efferamur, Auditores, quod Salerni immoramus, ubi isti Auctores Principes vitam degerunt; gaudio efferamur quod ipsi has sedes sacrarunt, inter haec maenia suas doctrinas explicarunt.

Tibi ipsi gratulamur, Salernum! quod enim maius decus ulli urbi potest accidere quam progenuisse viros, qui suae Scholae praecipuo splendori, suae patriae fuerunt tanto ornamento? Tibi ipsi gratulamur ob altam, autonomam et christianam tuae Scholae originem: tibi ipsi gratulamur, nobilis Italiae urbs, non ob situs amoenitatem, maris opportunitatem, aeris salubritatem, sed propter Auctores Principes, quos edisti, insignem Scholam, quam nutricasti; gratulamur, et gratulando horum studiorum exercitationis solemnia inauguramus.

Sed iam temporis angustiae monent, ut vela contraham, et ad vos egregiae spei iuvenes, qui medicae scientiae addiscendae operam datis, extremam meae orationis partem convertam.

Ne in sola hodiernae scientiae cultura subsistatis, a vobis rogamus et petimus. Nulla enim est rei medicae alta et vera cognitio, si in novissimis tantum, posthabitis rectis antiquis notionibus, versemur. Audistis, quibus laboribus nostri Auctores Principes inclaruerunt, audistis, quae pro scientiae augmentis egerunt? Eorum igitur observationes, experimenta, meditationes et studiorum exercitationes hodie etiam scrutemur. Nonnulla, quae novissima habentur, in eorum codicibus descripta, quandoque progressus etiam in re praesenti vestigia expressa inveniemus, si studiosius quid in ipsis lateat reconditi quaesiverimus.

Sed, dum nostros Auctores Principes admirari et perscrutari curamus, aliquid ex propriis viribus efficere conemur. Quamplurima sunt in Naturae sinu adhuc recondita, quamplurima adhuc in re medica intentata, et sensus plerumque fugit intimus aegritudinum processus. Hinc nos etiam novis observationibus et experimentis, quae adhuc secreta vel inexplicata sunt, vestigemus. Velut apis materiam ex horti agrique floribus elicitam propria facultate in melvertit et digerit, ita et nos observatione et experimentis collecta mente agitemus. Inter experimentalem et ra-

tionalem methodum facto foedere , si non ad formas abstractas vel ad ingenii commenta rapiamur , sed quae observatione , experientia et meditationibus collegimus rursus ad experientiam revocemus et velut ad lydium lapidem probemus , aliquid novum et scientia dignum promere poterimus . Et sicut nostri Auctores Principes praecipue ultra graeco-latinas doctrinas processerunt , ita et nos ultra hodiernas progrediemur . Haeredes enim Salernitanae Scholae vocati sumus , sed tacita conditione tanti pretii pignus nostrae fidei est traditum , non solum antiquae et recentioris scientiae campum excolendi , sed aliquid de nostro superaddendi . Nam hac in re qui non auget immunit , quod Deus averruncet .



VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO XAV. APUZZO

NEAPOLIT. REGNI SCHOLARUM PRAESIDI

Orationem, quam in anni scholastici exitu pro publica et solemni studiorum exercitatione in Salernitano Lyceo habui, tibi mitto, et acri iudicio tuo trepidanter submitto.

Rogo igitur te obtestorque, ut quae tenue ingenium minime valuit exornare, benigna, qua polles, voluntate aequi bonique facias, et levidensem lucubrationem nihil aliud, nisi obsequiosi animi testimonium censeas excipiasque.

Vale illustris Praeses, sisque Salernitano Lyceo volens libens propitius<sup>1)</sup>.

Salerni Prid. id. Decembr. MDCCCLI.

Tibi addictissimus


NICOLAUS SANTORELLI

<sup>1)</sup> Non longo temporis intervallo, Praeses mandavit, ut ipse ego de augmentis in Salernitano Lyceo faciendis propositionem facerem.

Libentissimo animo mandatum facturus, orationem meam, cui titulus « De Scholae Salernitanae gloria in pristinum restituenda » in qua eiusmodi augmenta dudum proposueram, ei misi.

Successus expectationem superavit; nam non multum temporis praeteriit et Regium Decretum, quo omnia in illa oratione desiderata concedebantur, ad nos trasmisit.

Multam cum multis laetitiam et voluptatem percepit.



# DE SCHOLAE SALERNITANAЕ

IMMERITA ABOLITIONE

ET DE REBUS IN EA GESTIS

ORATIO


IN REGIO SALERNITANO LYCEO

A NICOLAO SANTORELLI

PATHOLOGIAE PROFESSORE

HABITA

POSTR. ID. APRILIS MDCCCLXI



Divulgata de Salernitani Lycei abolitione notitia ,  
animi aegritudo et anxietas Professores , Discentes et  
Salerni Ordines invasit ; costernata est civitas uni-  
versa. Una erat omnium vox Salernitanum Lyceum  
in antiquae et celebris Salernitanae Scholae memo-  
riam et in Salerni honorem esse conservandum.

Complures, ut ego Lycei causam apud novos re-  
rum moderatores tuerer et sustinerem, rogabant, in-  
stabant.

Missionem magno animi ardore suscepi , Neapolim  
petii et publicae Instructionis Dicasterium adivi. Pauli  
Aemilii Imbriani et Aloysii Settembrini, qui hodie  
huic Dicasterio praesunt, in conspectum veni; am-  
bobus primam meam orationem , cui titulus « De Scho-  
lae Salernitanae gloria in pristinum restituenda» obtu-  
li, Salernitani Lycei conservationem, etiam Salerni  
nomine, enixe flagitavi.

Perhumaniter munusculum acceperunt, sed inter officiosa verba petitioni adversati sunt, asserentes maximam difficultatem, quominus Lyceum conservaretur, in vicina Neapolis studiorum Universitate positam esse.

« Id ipsum, in promptu respondi, quin obstet, pro Lyceo conservando est argumentum. Etenim praeparatoriae Salernitani Lycei institutiones ad Neapolitani Archigymnasi perfectionis studia gradum facerent; hinc ipsa vicinatas ad scientiam melius addiscendam esset expeditior via. Ex eo quidem in parvis Germaniae urbibus, licet studiorum Universitatis vicinis, scholae secundariae habentur. In ipsa nobilissima terrarum Italia ea est studiorum ratio, ut Pisis medicinae institutiones, in Florentiae Universitate perfectionis studia compleantur. Exemplum capere vos, quaeso, ne pigate ».

« Ad haec, in parvis urbibus virides annos magis ad disciplinas flecti, in magnis a temperatis et pudicis moribus deflecti docuit experientia: mythologi Parthenopem Sirenum unam dixerunt delatam Neapolim, quae proinde et ipsa Parthenope dicta est. Certe discentes non cera claudunt aures et discunt sibi cavere Ithaci exemplo. Fructuoso igitur et honesto desiderio velificari velitis ».

« Sed si annales Salernitanae Scholae, cuius Salerni Lyceum est successor, in mentem revocatis, maior

erit spes vos ipsum esse conservaturos. Certe Salernitana Schola inter barbarorum irruptiones scientiam, veluti sacrum ignem, in Italia servavit; certe in suis autonomis ordinationibus hodiernae studiorum Universitatis statuta praemonstravit direxitque: quare civilis et publicae medicinae iecit fundamenta. Et magis incalescens, altiora Scholae gesta et merita percurreret. Nolite, post omnia conclusi, abolere Salerni Lyceum, in quo illa celebris schola revixit, nolite patrio ornamento privare Salernum! »

Ex quibus nihil commoti sunt Dicasterii Rectores, quis crederet? hinc nihil apud eos nostra vota valuisse, et de Salerni Lyceo actum esse intellexi.

Irrito missionis successu, Salernum redeo, dumque vos in Lycei aula congregatos et de rei exitu anxios invenio, ne ex hoc loco abeatis rogo, priusquam, petitio ex dictis orationis exordio «de immerita Scholae Salernitanae abolitione et rebus in ea gestis» sermonem absolvam. Si mihi, uti confido, favetis, incipiam.

Dum eiusmodi facta exponere mihi sumo, infausta quidem est dicendi occasio, sed oratio non erit ad tristitiam composita. Nam, rebus in antiqua et superiori Schola gestis expositis, decretam iam abolitionem a iustitiae ratione magis magisque recedere videbimus. Hinc quod imperatur non servili animo feremus, sed protestatione in abolitionis auctores et

reclamatione apud coaevos et posteros ex ipsis Scholae gestis deducta notam ipsis inuremus.

Si vero omnia huius Scholae gesta narrare vellem, orationis exitum, pro rerum multitudine, numquam expedirem; neque me fugit quanti esset ea, uti par est, expendere. Sed tamen maiora tantum seligam; nec me exanimo, an idoneus ad ea narranda accedam; ut potero illa explicabo. Vos inauspicatae orationis mihi veniam, uti spero, dabitis.

Ab Encyclopaedia medica, quae primum in Salernitana Schola est composita, dicendi initium facio.

Dum nostrae aetatis eruditii obscura italici medii aevi investigare curabant, Scholae Salernitanae manuscripta per universae Europae bibliothecas sunt conquisita. Exinde pretiosi nostrorum Auctorum codices reperti a doctis viris sunt illustrati. Inter haec conspicuum Scholae Salernitanae Auctorum codicem in Uratislaviae bibliotheca invenit doctus Henschel. Triginta quinque tractatus in hoc vasto opere continentur, qui omnes fere Scholae doctrinas et notiones sub undecimi saeculi finem comprehendunt. Anatomia, Physiologia, Pathologia, Semiotica, Nosologia, Materia Medica, Medicinalium confectio, Droghistica, Therapia generalis et specialis, Tabula alfabetica morborum et medicaminum in hoc codice extant. Orationis limites non sinunt hos tractatus expendere; sufficiat librum de adventu medici ad aegrotum delibare.

Auctor medici officia civilia, moralia et religiosa in operis limine explicat. Nonnulla de medico civili et morali in Hippocratis Galenique libris inveniri non inferior; nullibi vero rerum tractatio ad institutionis formam et usum est digesta et redacta. Canones deinde ad diagnosim et curationem, seposita morbi specie, facientes ipse exponit. Cumque medicinae efficacissimus magister sit usus, particularia de aegrorum conditione, de diaeta et remediis percurrit artis simplicitatis custos, naturae in morbis curandis magistrae. et Hippocratis maximi eius interpretis ubique memor. Cautiones denique in prognosi et phoenomenis explicandis adnotat, omnia dicit ad praxim. Nec minoris in hoc tractatu faciendos censeo proprias Scholae medendi rationes. Salernitana est diaetetica, Salernitana remediorum electio, Salernitana saepenumero medendi mensura, Salernitanae Scholae sunt quaedam artis intimiora vel recondita; ex omnibus genuinam eiusdem Scholae indolem deprehendimus. Eiusmodi tractatus, qui ultimas medendi rationes ad aegri lectum, et loci conditiones accommodat, novus profecto et incognitus in omni antiqui et medii aevi litteratura medica est habendus.

Ex quibus concludimus librum de adventu medici ad aegrotum primum clinicae interpretrem vel manuale, obscurae adhuc in medio aevo medicinae periodi, et Salernitanae praxis specimen esse.

Sed Uratislaviae codicem in complexu breviter consideremus.

Utrum diligentior Salernitanae Scholae discipulus docentium lectiones scripto mandaverit, an ipsi Magistri universae rei medicae institutiones in unum collegerint, incertum est. Sed eae sunt doctrinae et notiones, ea rerum connexio et tractatio, ut satis appareat, eas eadem intra tempora conscriptas fuisse. Quicquid fuerit de eiusmodi rebus, certe septem auctores nominati, multi innominati, singuli suos tractatus in hoc opus conferunt, argumenta fuse et distincte tractant. Tractatum summa materiam medicam et therapiam praecipue respicit. Hae scientiae partes operativae et activae aliis certo praestant; nam ad morbum abigendum et sanitatem restituendam magis faciunt; quod scientiae artisque medendi est certus et nobilis scopus. In eo praesertim Salernitanae Scholae spiritus vel genius fuit. Hinc Auctores, praeter cognita illius aevi remedia, incognita etiam et nova experti plurima in manu ad artis finem habuere praesidia. Ex eo etiam therapia fere totius operis meta est posita, at in medenda infirma natura plerumque ipsa natura est interrogata. Nam nisi primum, aptius tamen aegrorum statui organico, habitudini, propensionibus, morbi stadiis, climati, anni temporibus aliisque subiecti et loci conditionibus therapia est accommodata. Verum sane, quoad tempora, scientiae artisque incrementum!

Sed latius patet totius operis campus; nam in eo universae illius aevi scientiae medicae corpus habetur. Novum igitur, vel primum Encyclopaediae medicae, ut quid parcus dicam, exemplum in hoc opere invenimus, et tam antiquitus, quanti sint hae tractatum collectiones, in Salernitana Schola est comprehensum. In eiusmodi collectivis operibus quae per incredibilem librorum numerum et varietatem sunt dispersa prae oculis habemus, et velut ex statione unica per universae scientiae artisque campum expatiamur. Consociatis auctorum laboribus, et excitata aemulatione, si quisque sua nova observata et experientia animo digesta et perscrutata denuo experietur, scientiae vel artis augmentum facile adsequetur. Hinc intelligimus car scientiarum cultores tantam operam Encyclopaediis conscribendis hodie dederint. Sed, cum inter antiqui et medii aevi libros frustra universae rei medicae tractatus in unum corpus collectos et digestos, frustra complures auctores ad eiusmodi propositum pari studio simul intentos conquisivimus, in hoc Salernitano encyclopaedico opere egregium nostrae Scholae meritum agnoscere debemus.

Verum nostrorum labores ultra Encyclopaediam sunt progressi. Cum enim ad morbos profligandos necesse sit ducere pharmaci vires in actum, medicaminum qualitates dignoscere, confectioni et conser-

vationi invigilare oportet. Quae eo maiori curae esse debebant, quod plura tunc temporis et admodum composita remedia erant in usu. Sed ex Schola Salernitana, cui tanti fuerat de remediis et therapia studium, prodire debebat codex, ad cuius normam medicamina essent eligenda, conficienda et servanda, ut tuta dari possent manu. Et ecce Nicolaus Salernitanae Scholae Praepositus famosum Antidotarium conscribere, in quo medicaminum qualitates, compositio, usus et administrandi modi breviter et lucide exponuntur.

Medicamenta ad pharmacopolea arbitrium confecta saepe incertae potentiae, spuriae virtutis, quandoque periculosa fuisse est notum. Verumtamen publicae salutis maxime interest medicinalia eligere, exacte confidere, et bene conservare; id ubique erat necessarium. Erit itaque memoria dignius nostrae Scholae Antidotarium, quod communi huic gentium necessitati obviam ivit, et quod hac de causa in universa Europa pro officiali pharmacopea est habitum.

In clinico igitur Interpreti, in Encyclopaedia et in Antidotario, quae opera primum a Salernitana Schola prodiere, triplicem Scholae gloriam habemus.

Maius sane pro publica salute tuenda fuit meritum in libro, cui titulus « Flos medicinae vel Regimen sanitatis, per antonomasiam Schola Salernitana ».

Ex iis, qui de hominum genere magis mereri ad laborarunt, illis certe danda est palma, qui ita rei

medicae operam navarunt, ut ad communem salutem tuendam maiorem curam et diligentiam posuerint. Eiusmodi certe fuere Auctores huius libri, in quo non unus et alter, sed tota Schola, suoque nomine loquitur. Nihil mirum si per aphorismos est loquuta. Primi enim et antiquissimi veritatis inquisitores cognitiones, quas ex rerum contemplatione decerpere et in usum revocare statuebant, in breves sententias redigere consueverunt.

Non de libri origine, neque an Francorum, vel Anglorum Regi dicatus fuerit, immoror; neque alia de eo dubitabilia attingam. Docti viri haec scrutati nihil exploratum habuere, nec genuinum versuum numerum sunt assecuti. Neque nos omnes versus puros habuimus, ut ut eos simus anxie percunctati. Praestitit certe Salernitanae Scholae opus; hinc aliorum eiusdem generis versus facile adscivit et additionibus increvit. Utcumque haec fuerint, incognitas medii aevi vivendi et medendi rationes, popularia et usitatiora remedia, quod rei caput est, hygienicas perutiles normas hic liber ostendit. Non me fugit antiquiora fuisse Asclepiadis Bithynii de sanitate tuenda consilia, sed nimis generaliter sunt exposita. Utilior fuit Salernitanus codex, in quo praecepta ad singulorum usum sunt accommodata.

Etsi breves et concisae sententiae plerumque sint obscurae et ambiguae, et explicari debeant, tamen

huius codicis aphorismi lucida forma omnium captui maxima ex parte respondent. Hinc parvi habuimus de hoc libro iudicium Halleri, qui eum nimis vulgare dixit. Nam vulgari etiam captui, ut omnium utilitati consulerent, librum Auctores accommodare maluerunt. Aphorismi versibus leoninis plerumque deducti facile memoria retineri, ad rem repeti, et in usum revocari potuerunt. Illa contracta et efficax sententiarum forma ipsis arrisit medicinae Magistris, qui eas in scholis pro hygienico textu adhibuere. Ex quibus omnibus maioris hic codex est habitus, magisque per Europae scholas diffusus in omnes linguas est translatus, et in centum viginti editiones multiplicatus. Tanti honoris causa non alia esse potuit, nisi utilitas. Certe ad Salerni Scholam, quasi ad oraculum affluixerunt non modo Italiae, sed etiam aliarum gentium aegroti; certe multae ex illis sententiis non minus ex codice, quam per traditionem hodie etiam repetuntur. Ut fuerunt olim, ita nunc sunt in plurimorum ore et usu, eruntque in aevum Scholae Salernitanae monumentum.

Inter Nostrorum pro publica salute studia et illud est recensendum, quod ipsi lectissimas matronas in medendi scientia et arte instituendi habuerunt curam. Nam in curandis mulierum morbis, nisi earum verecundiae ratio habeatur, abditis saepe causis et qualitatibus, cassus, quandoque noxius fit labor. Quae

obstant, si ipsae mulieres suum sexum curarent, dempta essent. Christiana huius Salernitanae Scholae institutionis debuit esse origo; nam non nisi a Christi religione mulieris dignitas et pudor magis commendari potuit.

Sed, cum in hanc rem venimus, nequimus silere de Trotula, cuius opus « De morbis mulierum », praeter omnis temporis laudes, poeticos etiam numeros magna saltem ex parte postea obtinuit. Nec de Trotulae articulis in Uratislaviae codice insertis Henschelii laudationem et De Rentii commendationem omittimus. De Trotulae doctrina testimonium habemus Rudolphum Malacorona, qui, medio undecimo saeculo, Salernum petiit, ut de medicis rebus disputaret: neminem vero, qui secum decertaret (facile Scholae non obvia in ei fuerunt Magistri, forte Gariopontus e vita excesserat), nisi doctam matronam invenit. Quod eo erit admirabilius, quo minus tantus scientiae cultus ab illius aevi muliere erat expectandus. Haec virilis ingenii matrona adeo medicinae perita non alia nisi Trotula, quae circa illa tempora floruit, esse potuit.

Maius Trotulae, ut arbitror, encomium nostris diebus est impartitum, cum inter illustrium virorum numismata et in Trotulae honorem est percussum numisma. Exhibit matronae caput cum inscriptione: « Trotula medica arte perita ».

Complures Trotulae exemplo Salernitanae mulieres in medendi arte inclaruerunt; inter quas dignae sunt, quae nominentur, Constantia, Abella et Rebecca. Totae in curandis mulierum morbis fuere, et ita non solum civium admirationem et benevolentiam sibi conciliarunt, sed modestiae in illo saeculo studium, et nostrae Scholae meritum in huiusmodi institutione posteriorum memoriae prodiderunt.

Cum vero tot mulieres publicae medicinae exercitio se dederint, dicendum est ipsam institutionem in civitatis moribus et in civili Salerni ordinatione locum obtinuisse. Sed quaenam de his aliisque mulierum honestis et utilibus munjis auspicati sunt, qui de civili instauratione hodie se iactitant novatores? Nihil; vel quin mulierum officia ad familiae honesta et decora, quae mulieris sunt, revocarent, incongrua, inter quae municipalia et politica suffragia eis attribuere conantur. Proh! inter saeculi aberrationes avocamentum!

Nobis vero pro re nata fas est mediæ aevi de præiudiciis et barbarie a neotericis accusati nonnulla imitabilia memorare, dumque de nostro tempore, quod tot recta et utilia mutat, conquerimur, aequius de illo aevo iudicium ferre.

Ad inventa et excogitata pro scientiae informatione vel progressu, quae Salernitanae Scholae auctoribus sunt attribuenda, gradum faciamus.

Meta in scientiae arena sublimior non alia est nisi

in novis inventis et verae scientiae excogitatis. Ut de inventis in genere dicam, eorum beneficia ad universum hominum genus facile pertinent; ipsa quasi creationes sunt et divinorum operum imitamenta. Ecce quae in nostrorum libris comperimus.

In Garioponti Dynamidiis prima est, quantum inter legendum observare potuerim, arsenici mentio, utpote praestantis ad pertinaces febres intermittentis remedii. Id ipsum nuperioribus encomiis honestatum pro sua inventione sibi tribuit Boudin; at verius Garioponto, ideoque Salernitanae Scholae debetur inventio. Haec usurpatio aliis accensetur novis rebus, quas nonnulli exteri, falce in Italas segetes immissa, in sua alvearia contulerunt. Neminem vel modicae lectionis fugit quoties exterarum gentium scriptores Italici genii inventa vel alta excogitata sua facere, vel quin aliquid eximium adiiecerint, factitia veste induere, originarium laborem corrumpendo, sunt adnisi. Sed nos attento oculo Salernitanae Scholae auctores persequemur, et si rerum vestigia, quibus exteri gloriantur reperiemus, nostris ea vindicare perpetuo nobis erit curae.

Ut ad rem redeam, Gariopontum etiam costarum depressionem, absente fractura, Petrocellum hydrotherapiam in locis affectis novisse legimus. In Nicolai Praepositi Antidotario primam, quod ego sciam, notitiam de anaestheticis, scilicet de vapore soporifero

ad aegros inter chirurgicas operationes stupefacientes invenimus. Novum est visum id ipsum, quod cum spongiis soporiferis Nostri dudum fecerunt.

Ut primum setonis vestigium invenirent, ad nisi sunt inventionum Scriptores, cum ipsius cognitio haud difficulter in nostro Plateario reperiri poterat. Magister Rogerius inter primos strumas ope spongiae marinae ustae curare est orsus; recentiores nihil aliud, nisi iodium in illa spongia, utpote activum curationis elementum detexerunt.

Novis remediis e Salernitana botanica desumptis Platearius therapiam auxit. Hinc Aegidius Corbelensis Salerni terram pro matre plantarum medicinalium habuit.

Inter res denique anatomicas, Magistrum Maurum vasa lactea iam novisse Uratslaviae codex testatur.

Aliarum inventionum vestigia intimiori in Nostrorum libris scrutinio facile inveniri poterunt. Non omnia enim prima illorum inquisitione innotescunt, multo minus quid ab ipsis tentatum est, et secreto agitatum. Quae vero inventa recensuimus, si pro nostri temporis inventis sunt minoris pretii, id non minori Nostrorum ingenio, sed eiusmodi rerum necessitati est tribuendum. Nam in rerum inventione minora maioribus praecesserunt, et multa a parvis initii in maximum excreverunt. Saepe etiam si prior inventio non fuisset, neque et subsequens esset; aliae

potius felicis cuiusdam casus, quam inventoris facultatis fuerunt effectus; aliae potius temporis partus quam ingenii.

Ad Nostrorum excogitata pro scientiae informatione vel progressu veniamus. Cuique eorum libros perlegenti saepe occurrunt observationes et rectae novaeque inductiones, quas non ab antiquis, neque a graeco-latina schola, sed naturae lumine et propria meditatione sunt assecuti.

Longus essem si huiusmodi inductiones producere et expendere vellem; sed novam et utilem pathologiae et theraphiae, quam illis temporibus sibi aperuerunt, viam non praeteribo.

In solidis et humoribus morborum causas antiqui posuerant; sed Nostri in nervoso etiam systemate eas respicere coepere. Dynamicae medicinae vestigia apud veteres inveniri non dubito; numquam tamen in nervoso systemate est posita alicuius morbi causa unica. Verum iam noster Bartholomaeus sociique Magistri, phoenomena idiophatica a consensualibus distinguendo, nervosum elementum in morbis admiserant. Sed nervosi vitii ratio in Uratslaviae codicis fragmento est in comperto. Ibi enim de febribus est scriptum: «Sensibilitatis praecipue laedens opus». Hinc febrium causa non in calore elementari, sed in organico, in eo scilicet, qui sensibilitatem laedit est posita. Idecirco Auctor nervosum vitium in aliquo febrium genere pro causa retinuit.

Neque hoc satis ; rursus enim ibidem « Calor iste quoties sentit... luctatur donec vincit, vel vincitur ». Ex quibus Nostros etiam prius quam Sydenham vitae dynamicam eiusque luctationem cum morbi causa in-nuisse intelligimus.

Cuius doctrinae veritatem ex eo etiam metimur, quod etiam nunc integra viget. Tempus enim est etiam verae doctrinae index, earum quae inanes sunt va-stator.

Sed hoc naturae conamen, non minus praxis culto-ribus solemne, quam verum, in sensibilium nervorum virtute, quod magis interest, Nostri posuerunt. Hinc clinicam viam ad nervosi in febribus vitii sedem et curationem ipsos sibi aperuisse concedet, qui neuro-logiae clinicae originem et rationem progressus in temporum successione introspiciat.

Rei opportunitate mihi ducto fas est in commen-datione ponere primordia neurologiae clinicae. Enim vero nonnisi per gradus neurologiae clinicae notiones sumus adsecuti, et, si attentius rem consideremus, eas plerumque antiquis inductionibus, velut catenae annulos, innexas cernimus. Hoc pacto earum genesim et progreendi rationem deprehendimus.

Ne igitur invalescat illa ingeniorum corruptela, ut rem latius repetam, qua iuventutem infectam esse novimus, quando rectas veterum inductiones a clinica observatione et experientia desumptas nihili facit, et

nova, solummodo quia nova, quasi nihil tot saeculis sit actum, amplectitur et praedicat. Non rerum novitas, neque antiquitas, sed veritas nos teneat. Reperiuntur ingenia, dixit Baco, alia in venerationem antiquitatis, alia in amorem et amplexum novitatis effusa; pauca vero eius temperamenti sunt, quin, aut quae recte posita sunt ab Antiquis convellant, aut ea recusent, quae afferuntur a Novis. Hoc vero magno medicae scientiae fit detrimento, cum sint potius studia novitatis vel antiquitatis, quam recta iudicia. Veritas non a novo vel antiquo tempore sed a lumine naturae et experientiae est petenda. Exclusiva igitur abnegemus et pari studio ad vetera et nova, quae vera sunt, excolenda feramur.

Ut ad rem redeam, si cerebrum, nervosi scilicet systematis centrum, utpote animae facultatum instrumentum respicimus, Nostrorum excogitata tanti fuisse deprehendimus, ut ipse doctissimus divus Thomas ea cum suis praestantioribus doctrinis postea conexuerit.

Et re quidem vera noster Petrocellus senior iam dudum posuerat phantasiae organum in anteriori parte cerebri, logismi, seu rationis in media, memoriae in posteriori: Pariter Thomas docuit tres esse in cerebro cellulas, anteriorem scilicet, medium et posteriorem, et organum imaginationis esse in anteriori, memoriae sensitivae in posteriori. Ex quibus, cum Nostri et

Thomas determinatas cerebri partes ad exercitium variae animae facultatis deputari censuerint, utrosque speciales instrumentales functiones cerebri partium retinuisse colligimus. Nostros vero illa divi Thomae pronuntiata primos in re neurologica emisisse adserimus. Tantum vero abest ut ex eo Thomae doctrinis aliquid detrahamus, ut potius Nostrorum meritum exinde promanasse existimemus, quod Aquinas illas eorum doctrinas retinuerit.

Ad haec Nostri his notionibus freti novum pathologiae campum sunt ingressi. Revera noster Platearius phrenesim in anterioris cerebri cellulae, lethargiam in posterioris inflammatione, melanchoniam in cellulae mediae infectione posuit. Quae etsi maiori opera et labore digna, et apud recentiores rectius et latius sint investigata, Nostros tamen harum rerum primordia innuisse laudi ipsis est tribuendum.

Cum itaque Salernitanae Scholae Auctores nervosum elementum in pathologia et clinica primi introduxerint, et speciales cerebri partium functiones in psycologicis et pathologicis doctrinis cognoverint, ipsos neurologiae fontes aperuisse et hodiernos neurologos praeivisse nemo inficiabitur.

Huc, quod circa inventiones omnes est retinendum, addamus, scilicet saepe maiorem laborem exanthlatum fuisse in recludendis primis earum semitis, quam in eisdem foecundandis augendisque. Et sicuti quicquid

in terrarum orbe recentiorum industria detectum est solemus tribuere eis, qui primum praetergressi Oceani illas regiones detexerunt, eodem iure neurologiae primitias Nostris vindicandas esse contendimus.

Ex inventis igitur et novis Nostrorum de scientia informanda vel prolatanda excogitatis Scholae Salernitanae gesta etiam emitiri debemus.

Quid ad hodierna civilia et publica Instituta nostra Schola contulerit est nunc dicendi locus.

Mirum sane videtur antiquos corporibus roborandis tam attendisse, et adolescentes cursu, saltu, pugilatu, ut agiles fierent, exercuisse, parum tamen ea ex quibus animos publice excoolerent curasse. At si de Graecis fit sermo, id in causa fuit, quod identidem unus philosophus erat ipse velut studiorum Universitas absolutissima. Revera Aristoteles, Teophrastus etc. ita omne scibile sunt professi, ut nemo specialis scientiae cultor cum illis etiam in ea comparari potuerit. Quisque tantum scire existimabat, quantum ex eorum fontibus haustum erat. Hinc Graeci parum vel nihil eiusmodi Institutis egebant. Romani autem graeca Instituta imitari quam sibi propria fundare maluerunt. Aliter se res habuit posterioribus saeculis, quae cum illis viris caruerint, ex eo publica Instituta ubi animalium vires divisim a Magistris exercentur necessaria sunt habita. Ad haec, aucta, tractu temporis, scientiarum copia et varietate, aliud ad alias elabo-

rare, ut aptius eas excolleret, traderet et perficeret, necesse fuit.

Sed ad rem veniamus. Schola Salernitana a remotissimo aevo Magistrorum Collegium, propria statuta et leges, dissentium concursum, ideoque publicae institutionis formam habuit et studiorum Universitatibus, quae postea viguerunt, fuit exemplo. Id ex Aegidii Corbeliensis carminibus, id ipsum ex historicis documentis, quae refert Giessembroek, colligimus. Ait enim « Salerni doctores societatem inierunt ad Universitatum fere, quas dicimus, rationes » et Ackerman « Si scholae medicae antiquis temporibus extiterent, eae non ex Collegio docentium, sed ex unico Magistro constabant. Sed plures illis temporibus (Salerni) medici simul docentes atque medicorum Collegium constituentes fuerunt ».

Studiorum Universitates, quae postea sunt excitatee, quamvis variantes pro locorum, morum, ingeniorum et rerum diversitate, tamen nostrae Scholae ordinationes et leges sunt imitatae. Sicuti Salernitanae Scholae erat Praepositus, cui Scholae statuta, leges, ordo studiorum erant curae, ita etiam haec ipsa munia Universitatum Rectoribus sunt commissa. Ut illi regendi Collegii erat potestas, sic his moderandae Universitatis auctoritas fuit. Quemadmodum qui ad medicinae exercendae facultatem aspirabant a nostrae Scholae Magistris, periculo facto, idonei iudi-

cari debebant, simili ratione in Universitatibus factum est. Probabiliter ab aevo Longobardico, certe in duodecimo saeculo, et priusquam in quavis schola Occidental, nostra Schola laureas conferebat. Rogerius, uti mox uberior dabitur dicendi occasio, illam facultatem solummodo comprobavit. Fridericus secundus nihil aliud nisi decreto postea sancivit id ipsum, quod Salerni Schola habebat proprium. « Nullum, ita decrevit, medici titulum habere et mederi posse, nisi Salerni primitus et in publico Magistrorum conventu comprobatus ». Hinc merito De Rentius dixit: « Haec Schola Regum decretis firmata vedit quae iampridem propria virtute sibi comparaverat ». Unde colligimus Salerni Scholam studiorum Universitatum, quae processu temporis sunt excitatae, imaginem delineasse. Cumque tanta medicinae civilis pars ab eiusmodi Institutis promanet, dicendum est ipsam publicae medicinae fundamenta iecisse.

Ex quibus etiam colligimus exteris gentes in Studiorum Universitatibus instituendis non Rogerii recognitionem, neque Friderici decretum, sed originaria et propria nostrae Scholae statuta et ordinationes secutas fuisse. Salerni Scholae fuit veluti lampas, cuius lumine posteriores Universitates sunt exortae.

Egregium igitur nostrae Scholae meritum fuit, et vereor ne infra eius dignitatem loquar, quando id afirmo, statuisse et praemonstrasse formam hodiernae

Studiorum Universitatis. Cuius nobilissimae institutio-  
nis ratio est etiam in nomine, si verbi etymon perspec-  
tum habemus; nam Universitas quasi imago Universi  
est dicta, ubi Unum quaqueversus per omnes scien-  
tias fluit.

Sed maius patebit meritum, si consideremus No-  
stros illam docendi societatem non ambitionis, sed  
scientiae vinculo ad novam Scholam fundandam ad-  
strinxisse; si libertatem in societate docendi, et pote-  
statem laureas conferendi, non politica auctoritate,  
sed scientiae iure optimo adeptos fuisse, si eiusmodi  
autocratiam, velut temporum rerumque domini, in  
rerum quoque conversionibus sibi vindicasse tenea-  
mus. Revera Rogerius, Salerni post longam obsidio-  
nem potitus, inter pacta conventa adactus est hanc  
conditionem ponere; scilicet « Collegium seu publicum  
Magistrorum et Doctorum Institutum... ex vetustis et  
notissimis privilegiis undique cultum in suo usu per-  
petuetur ». Ex eo Schola Salernitana in fidem tute-  
lamque publicam est recepta, eique inter rerum per-  
turbationes et vices tranquillitas et securitas, ex tot  
aliis Gymnasiis belli calamitatibus vastatis et protritis  
fugata, est in posterum etiam servata.

Utinam vero in iuris gentium codice, sacrum tam-  
quam ius, sancitum foret, ut inter bellorum turbines  
et crebras rerum fluctuationes scientiae et litterarum  
Instituta manerent inviolabilia !

Ita enim cautum esset, ne per bellicas calamitates tamdiu Doctorum cathedrae silerent, nec vacua discentium subsellia essent, nec studia cum scientiae et iuuentutis detrimento interrupta manerent. Cuius rei Napoleon Primus, Francorum Imperator, insigne dedit exemplum, quando in illis perturbatis temporibus inter leges occupandi Electoratum Hannoverensem decreto praescripsit, ut Studiorum Universitatis res salvae et integrae servarentur. Sic studiorum in rerum conversione continuatio quodammodo turbulentiae occurreret et publicae calamitati aliquo esset levamento.

Duplici idcirco de causa rerum moderatores velint excipere nostrum votum et communi voluntate ducere in actum.

Ut Scholae Salernitanae in successivis saeculis merita persequar, notandum est, quod eius dignitas in decimo tertio saeculo, quando pristinis eius facultibus Regia sanctio accessit, non est imminuta. Et quamvis tunc temporis aliae etiam Scholae scientiae augmentis et magistrorum praestantia floruerint, nostra tamen Schola, quae ipsis fuerat, in Italia praesertim, exemplo, antiquis fastis praeclera non minor erat fama. Claros in re medica viros non cessabat efferre, adhuc splendido fruebatur nomine, adhuc erat rei medicae Magistra, adhuc et illud repetebatur in scholis et libris « Schola Salernitana docet ». Etiam in ultimi saeculi dimidio tantus ei erat honor, ut Pa-

risiensis Universitatis medica Facultas ipsi detulerit iudicium solvendi controversiam inter Parisiorum medicos et chirurgos ortam. Hodie vix est ullus ex doctis exteris, qui Salernum petit, et locum ubi celebris Schola fuit eiusque documenta non avide quaerat. Inter quos eruditissimos Daremberg et Henschel nomine, qui praesentes ad rem me inviserunt. Quae ex Regia Neapolis bibliotheca manuscripta de Schola collegaram libenter eis praebui. Gratias mihi egerunt, et in suo itinerario Parisiis edito illa collectanea non parvi habuisse dixerunt.

Sed, si nostra Schola Europae Studiorum Universitatibus fuit exemplo, si tanta eius amplitudinis fama temporum successione viguit, in urbe Salerni non poterant deesse nosocomia, quibus humanitatis et scientiae vincula magis adstringerentur. Cuius humanitatis insigne exemplum fecit Princeps Arechi, qui hospitalem domum ad aegros etiam recipiendos suo palatio coniungi iussit. Cumque nihil simile posteriores Principes, qui atria superba, palatia, imagines ostentant, imitati sint, quaedam medii aevi christianaे liberalitatis exempla in honorem redeunt. Item Aiellus, Gulielmi secundi Cancellarius magnificum Salerni nosocomium fundavit, et ubertim redditu dotavit. Nec alias Salerni hospitales domos numero: sed cum ibidem eodem tempore celebris Schola medica floruerit, si aequa lance rem pendimus, dicendum est ipsam

Scholam his non minus beneficentiae, quam scientiae  
Institutis fundandis occasione vel incitamento fuisse.

Pro re nata, anatomicas publicas lectiones in Salerni Schola primum datas non praetermittam. Antiquiora anatomicae culturae documenta in medica historia extitisse fateor; nemo tamen de eiusmodi Salernitanae Scholae praerogativa inficias ibit: nam primum a Friderico secundo sancitum est anatomiam humanorum corporum publice in nostra Schola tradendam esse. Unde colligimus in ipsa Salerni Schola vetera praeiudicia quoad cadaveris incisionem devicta fuisse, ibique primum Principis decreto et publice id studiorum genus inchoatum susceptumque.

Religionis denique spiritu nostram Scholam praestitisse splendidis documentis constat; unde altiora facta sunt eius gesta. Etenim mens scientia pollens, si etiam res divinas colit, non potest non agitare sublimia, non ad grandiora conari, non efficere egregia.

Rem primo consideremus quoad aegrorum curationem a Nostris in Dei nomine suspectam. Locuples exemplis experientia testatur aegros eo facilius ad sanitatem perduci, quo magis viget animus. Roborato enim animo, dolores leniri, organica officia instaurari, vires ad sustinendum morbum augeri, nos, inquam, de nobismetipsis liquido et experientia scimus. Ad haec, animum saepe in morbis magis, quam corpus aegrotare, et animorum medelam saepius plus

valuisse quam peregrina vel multa arte composita  
remedia nemo est, qui nesciat, vel in re medica hos-  
pes. Sed Nostri animi medelam christiano spiritu vi-  
vificarunt. Hippocratem medico praescripsisse, ut ad  
aegrum non accederet, nisi invocato numine, legimus.  
Gentiles Diis salutaribus delubra dedicasse scimus. Sed  
abierunt tempora Hippocratis, abierunt Gentilium  
tempora. Cedentibus Evangelii luci falsae religionis  
tenebris, hoc salutare principium a christianis medicis  
altius petitum nullibi melius, quam in Salernitana  
Schola est excultum. In ea enim Religio primas in  
medicorum animo habuit et ad medicinae metam est  
invocata.

Ex laudato libro « De adventu medici ad aegro-  
tum » discimus medicum a Deo curationes auspicari,  
et ad aegrum his verbis accedere debuisse « Adiutor-  
rium sit in nomine Domini ». Aureum sane restituen-  
dae salutis augurium ! Sed reapse multa his verbis  
erat potentia ad aegrorum spes viresque excitandas.  
Insuper, medicus, divina ope exorata, aegros admo-  
nere debebat, ut a Deo fausta remediis impetrarent.  
Recte quidem et merito. Quis enim nisi Deus Optimus  
Maximus est luminum pater, et boni auctor ? Has  
vero apud Deum precationes non mystico vel claustral i  
more, sed ut se coram Deo humiliaret, et sanationem  
non sibi, sed supremo Numini tribueret, proferebat.  
Quibus auspiciis, quoties, aucta remediorum virtute,

cessit morbi vehementia, quoties aegris, ex anci-  
piti vindicatis, medicus vitae fugienti manus iniice-  
re est visus? Ad sinceram aegrorum et medentium  
fidem provoco. Certe Deo acceptus est medicus, qui  
suae insufficientiae conscientius, eius pro curandis aegro-  
tis praesidium invocat; ingratus vero, qui elato su-  
percilio sibi ipsi arrogat sanandi potestatem, et su-  
perbis verbis sanationes ostentat. Quid vero mirum si  
rerum Arbiter humilitati favere dignetur?

Iisdem auspiciis Salernitanae Scholae auctores o-  
perum suorum initium sumere in pretio habuere. Pe-  
tricelli senioris liber sic incipit « Studium cum Dei  
auxilio fit manifestum, et cum Dei gratia fructuosum ».  
Sic Paulus Grisignanus « In nomine Infinitae Bo-  
nitatis ». Sic Maranchius « Imptoremus Divinam gra-  
tiam ». Non est Auctor, qui in libri principio vel exitu  
haec vel similia missa faciat. Recte ille quicumque  
dixit « Bona mens sine Deo nulla est ».

Publica etiam Religio Nostris cordi curaeque fuit,  
qui suam pietatem publicis monumentis testatam fe-  
cerunt. Omnes fere Salerni ecclesias statuis, propriis  
impensis, exornare, maximum Sancti Matthaei tem-  
plum ampliare, suos proventus piis Institutis fovendis  
destinare voluerunt.

Ad rem Scholae statuta et solemnia in laureae col-  
latione respiciamus.

Periculum, propositis argumentis, ad obtinendam

lauream in ecclesia sancti Petri ad Curtim vel sanctae Catharinae, felicioribus a loco ductis auspiciis, erat faciendum. Mox laurae decorandus honestos mores servare, a falsis abhorre, a pauperibus nec oblatam mercedem recipere (hoc christianaee caritatis principium in nostra Schola primo est invocatum), aegris praesidia religionis commendare iure iurando affirmare debebat. Cumque ex instituto veterum, si dignum aliquid esset suscipiendum, id solemni ritu erat faciendum, in Sancti Matthaei templo, annulus aureus digito, corona ex lauro fronti, liber in manibus clausus primum, mox apertus, osculum a singulis Scholae Magistris, paterna demum ipsorum benedictio inter laureae insignia et solemnia fuerunt. Quibus peractis, novus doctor in medendi arte suscipienda sanctum aliquid facturus sibi et adstantibus est visus.

Salernitanae laureae praestantiam ex eo etiam dimetiri poterimus, quod, cum Neapolis diploma Regia sanctione, ut vigeret, muniendum erat, nostro satis erat nomen Praepositi. Dumque Neapolitana Laurea facultatem medicinam exercendi in Regiis tantum dominiis, nostra per totum orbem, tanta erat Scholae famigeratio, concedebat. Notatu etiam fuit dignum, quod illis pactis ac capitulis cum Rogerio firmatis cautum fuit, ne Salernitana laurae insigniti a quocumque officiali vel administro publico, etiam supremae auctoritatis, a medicinae exercitio impediri pos-

sent. Longe igitur potiora Salernitanae, quam Neapolitanae laureae iura et privilegia fuerunt.

Ex eo intelligimus cur a remotis regionibus, magno incommodo, ingenti impendio, et patriis academiis posthabitis, plurimi medicinae addiscendae et laureae accipiendae causa in Salerni Scholam advenerint. Inter quos sufficiat nominasse Dominicum Cotunnium, qui Salernitana laurea insignitus magno lumine tum in ceteris medicis scientiis, tum maxime in anatomicas rebus dignus fuit, qui in saeculorum memoria maneat.

Jure igitur merito concludimus scientiae et Religionis amicam consociationem in aegris curandis, in libris conscribendis, in divino cultu publice promovendo, in laureae collatione nostrae Scholae Magistros adstrinxisse. Et, aut nostrae Scholae amor me fallit, aut nulla illo aevo Schola pietatis exemplis ditior, Religionis cultu illustrior fuit. Unde maius meritum eius gestis accessit.

Sed heu ! quam tristissimae rei me nunc agitat cogitatio ! Quam plures tempore, in quo misere versamur, Magistri naturalis scientiae colore fucati iuveniles mentes speciosis sed falsis et dolosis opinionibus imbuere, vel veneno, quo inflantur, libros contaminare satagunt !! Contagione propagata, errorum luem apud plurimos grassari, et, corruptis moribus, vitium triumpho agi dolentissimi videmus.

Sed vos, egregii iuvenes, Salernitanae Scholae alumni, adeste animis, eiusque Auctorum more, scientiam cum Religione foederatam habeatis, pestiferas illas opiniones fugiatis, ab aliis veluti exorcismo fuggetis. Hoc pacto integrae et probae vitae exempla prometis et adversus vitium obfirmato atque invicto animo eritis. Omnia erunt in magno vestrum et nostrae Scholae merito.

Ut ad extremum et summatim de Salernitanae Scholae gestis et meritis concludam, haec maximi erunt, si huius Scholae scientiae artisque augmenta, et Auctorum in libris conscribendis et doctrinis tradendis autonomum consortium, maximi erunt, si nova pro publica salute inventa et excogitata pro scientiae progressu et informatione, si eius instituta et ordinationes pro hodiernis Studiorum Universitatibus fundandis, maximi erunt, si autocratiam in laureis conferendis, suisque iuribus ac privilegiis in rerum conversione vindicandis, maximi erunt, si scientiae cum Religione consociationem considerabimus. Haec Scholae gesta et merita manebunt quamdiu suus honos rei medicae stabit, et quamdiu supererunt medicinae cultores. Nulla annorum serie et temporum iniuria elidi poterunt: ipsa adversa Scholae Salernitanae memoriam immortalem reddent.

Sed, cum Salerni Lyceum, antiquae Scholae successor et haeres, eius spiritum et nomen servare, resque

gestas continuare adnisum fuerit, ut orationis metam attingam, hodierna ipsius Lycei incrementa silentio praeterire nequeo.

Historiae Naturalis, Physicae et Chemiae cathedrae appositis Museis, quod erat optandum maxime, sunt auctae et experimentalis scientiae copia et materia, quallem exigit studiorum nostri temporis ratio, est facta. Insuper novae cathedrae Medicinae Forensis, Materiae Medicae et Agronomiae sunt excitatae. Theatrum anatomicum est ampliatum, novisque instrumentis, microscopiis et chimicis auxiliis instrutum, cadaveris scrutinium facilius altiusque reddit. Hortus agrarius botanicae tradendae est etiam additus. Academicae facultates ad laureae candidatos examinandos sunt extensae.

Rarissima manuscripta, quae ad Salernitanam Scholam eiusque Auctores pertinent, ingenti sumptu per Europae bibliothecas publicas et privatas conquisita, octo voluminibus collecta, in Salernitanae bibliothecae primo pluteo supereminent. Collecta Salernitanae Scholae monumenta eius rerum studiosi evolvere et perlustrare sint, uti speravi, solliciti. Ego manuscripta, quae De Rentius edidit, rimatus, collatis etiam codicibus, qui in nationali Neapolis bibliotheca extant, multis mendis expurgare, evanescentes litteras intelligere, lacunas supplere, difficultia et obscura adnotationibus illustrare pro mea tenuitate

sum ausus, laboris exitum brevi, Deo adiurante, editurus.

Omnia igitur desiderata, quae in prima mea oratione « De Scholae Salernitanae gloria in pristinum restituenda » ex voto expressi, sunt adimpta.

Ad haec anniversariae studiorum exercitationes ampliore forma et severiori cura sunt habitae; discientium ingenia, absoluta annuae institutionis opera, e scholae laboribus in publicum tentamen adduximus. Complures optime se gesserunt, et certaminis corona inter adstantium plausus ornati sociis incitamento, nostris sudoribus praemio, omnibus fuerunt admirationi et spectaculo.

Lycei incrementis antecessorum studia respondisse detur addendi locus. Scientiam usque ad hodiernum progressum studiosius tradere curavimus. Ego ipse, ut anatomiae pathologicae nuperiora augmenta cum huius scientiae statu in superiore saeculo compararem, criticas exercitationes in Morgagni epistolas cum selectioribus discipulis habui, laborum primitias digessi et edidi. Auctis antecessorum studiis, crevit discientium solertia, et generosa inter utrosque orta est aemulatio. Hinc plurimi ex Lyceo alumni prodiere, qui publicae salutis tutelae civilia officia adiunxere, omnia rite peragentes patriis locis decori et ornamento fuerunt. De his rebus Salernitanos Ordines, vos non nos ipsos, clari viri, qui adestis, testes appello. Sed haec sed ipsius Scholae merito et honori referimus.

Ex quibus aucta et propagata Salernitani Lycei commendatione, frequentior ex Provinciis e Neapoli ipsa dissentium numerus, ut numquam antea, ad scholas nostras ( o quam nobis laetabatur animus! ) affluxit. Lyceum, nobis ipsis mirantibus, non parva Studiorum Universitas est visum. Omnes voluptate perfusi priscae Scholae tempora et titulos redire, Salernitanam Scholam reviviscere putavimus.

Quae cum ipsi urbi Salerno gratissima et optatissima accidissent, eius viae velut festivae, Tyrrheni maris, ubi est Salernum, littora laetiora sunt visa; sed oculorum voluptate maius sane erat animorum oblectamentum. Civitatis Ordines, Italiae nova constitutione confisi, maiora melioraque de Lyceo augurari coeptabant. Sed heu! brevi tota scena est mutata! Effusa animorum laetitia et felicia auguria in triste Scholae fatum ceciderunt.

In ea postrema incidimus tempora, in quibus, dum tot optima, conversis publicis rebus, promittuntur, nulla promissis respondit fides, quin imo, uti civiles res in peius ruunt, ita bonae disciplinae deterioribus conditionibus, uti numquam, subiiciuntur, et antiqua praeclara docendi Instituta una cum Religiosis Ordinibus, heu! temporum pietas! vastantur, abolentur.

Arbor in magnam altitudinem excrescens, pomis frondibusque nitescens iam ab hostibus excidenda mihi Salernitana Schola videtur; bipenni percussa adhuc pomorum honore resistit. Sicuti agrestes et villici,

dolore et ira commoti illam casuram circumdant et sustentare adnituntur, sic discentes et docentes Scholam meritis fulgentem iam abolendam moerentes et indignati circumcingere et defendere satagunt. Ipsa Schola suo nomine et fama suis inimicis obsistit. Antiquae Scholae venerandi Manes maesto et irato vultu per Lycei atria versari, ipsi parietes luctum testari videntur. Sed quo feror? Missas faciamus imagines, quamvis veri figuræ.

Pro certo est, ubicumque gentium adsunt medicae eruditionis cultores, ibi, quando Salernitanae Scholæ abolitio nunciabitur, publica exprobrantia verba auditum iri. Sed vos, spectatissimi Salerni cives, vos antecessores et discentes taciti et, veluti indicto silentio, manetis! Silentium, praecipuum moeroris signum, inter vos non tam tristitiae, quam irae est. Quid vero a me expectetis, scio. Expectatis certe ut, abrupto orationis filo, Salernitani Lycei abolitio contra ius et fas denuncietur. Expectatis certe ut de Scholæ, antiquis novisque gestis illustris, abolitione contra rei auctores protestatio, et apud coaevos et posteros fiat reclamatio.

Verum id praesentes agimus, id ipsum historia testabitur.

Quid vero consilii suscipiendum, quid nobis agendum superest, ut non vana remaneat protestatio, non inanis reclamatio?

Animum recolligere, et scientiae momenta, si un-

quam antea, nunc vel maxime excolere debemus. Quisque nostrum, velut sacramento adstrictum se teneat, ut, quantum in se est, in scientia excolenda et tradenda acuat ingenium. Discipulos non dimittamus, sed inter privatos Salerni parietes indefesso labore magis instruamus. Auctis vicissim studiis, animos recipere, et Scholae revicturae prospicere processu temporis poterimus.

Inter haec Salernitanae Scholae gesta ac merita in Salernitani Ordinis mentem continuo revocemus, eiusque desiderium in animis accendamus. Quis erit tam excors, cui celebris sua Schola non erit inter res patrias carissima?

In primis politici Salerni viri, quibus generosum est ingenium et gerendarum rerum facilis occasio, Scholae restitutionem cordi habeant, et pro meta sibi ponant. Quod volunt, valde velint. Inter populi comitia, et in supremo Senatus concilio illam abolitionem reprobare non cessent. Nihil erit ad rem efficacius. Serius ocyus exorietur egregius Scholae vindex et restitutor.

Sed per te ipsam tuo fato supereris, alma Schola Salerni! Tui honores perstabunt, perpetua erit tua fama, perennis commendatio! Non toto in posterum tempore imposito silentio damnaberis. Ex ipsis tuis gestis, tota fide id asserimus, in antiquam docendi palaestram revocaberis. Et quando hoc tempus adveniet, facile recuperabis amissa, et maius virium et gloriae tibi erit augmentum.



PRAECLARO VIRO

SALVATORI DE RENZI

PUBLICAE NEAPOL. INSTRUCTIONIS PRAESIDI

Orationem « De immerita Scholae Salernitanae abolitione et de rebus in ea gestis », quam nuper in Salernitani Lycei aedibus habui, tibi mittere festino.

Quo animo sis da hac re, non sum nescius; tua enim etiam res agitur. Velis igitur in Publicae Instructionis comitatu Lycei Salernitani conservationem propugnare.

Memorandum erit, si tu, qui Scholae Salernitanae antiquitatibus illustrandis insudasti, Lyceum, in quo illa Schola adhuc vivit, ab ultimo fato educas. Hoc pacto non modo antiquae illustrator, sed successivae Scholae liberator gemino merito clarior eris.


Vale, Praeses noster, nobisque fausta quam primum rescribas<sup>1)</sup>.

Salerni IV Kal. Maii MDCCCLXI.

Tuus  
In Schola Salern. illustran. comes  
NICOLAUS SANTORELLI

<sup>1)</sup> Omnem lapidem pro Salernitano Lyceo conservando moturum, quod nisi adsequeretur, Praesidis munus se abdicaturum esse respondit.


Heu! de utraque re nihil vidimus!



SCHOLAE SALERNITANAЕ

AUCTORUM ET OPERUM

CONSPECTUS



Dum orationes , quas de Schola Salernitana habui,  
typis mandare reputabam, aliquid ad propositi finem  
deesse est mihi visum , si expensis Auctorum Princi-  
pum libris ac meritis, ceteros Salernitanae Scholae Au-  
ctores, quibus multae fuerunt ingenii et doctrinae do-  
tes, silentio praeteriissem. Ipsos Auctores Principes  
non satis aestimasse sum ratus, nisi omnia eorum  
opera recensuissem et digniora enucleassem.

Qua de causa quendam Auctorum Conspectum o-  
rationibus adnexi, in quo non nuda eorum fieret re-  
censio, sed varii operum tituli, loci, ubi manuscripta  
vel excusa extant , argumenta nonnulla critica vel  
exegetica indicarentur , breviter subinde indicando  
quid quisque Auctor praestiterit , quidque de scientia,  
de arte, et de sua Schola meruerit. Ex quibus Scho-  
lae status nativus et genuinus ab eo , in quem po-  
stea arabicum elementum penetravit, Salernitanae

Scholae aetas florida, media, et decidua distingui, et medicina occidentalis medii aevi illustrari poterit.

Multa ex Henschelii scriptis exegeticis, plurima ex De Rentii historicis hausit; non tamen inutile aliquid fecisse mihi videor. Sparsa enim et dissoluta collegi et digessi, multa penitiora ad mei propositi finem ex ipso codicum editorum vel exscriptorum textu et Auctorum locis gravioribus deprompsi. Missis lautiis, quae parum vel nihil e re sunt, tantummodo ex rebus quae ad Auctores, quatenus operum Scriptores, pertinent, Conspectum exegi.

Quibus selectis, si, quae in orationibus disserui ita conferantur, ut vicissim se expleant, Auctorum et Scholae doctrinae saepe ulterius quam ab historicis est factum inspicientur, multaque ad ipsius Scholae indolem noscendam facientia, veluti ex tabula synoptica, praesto erunt.

## PETRICELLUS SENIOR

CIRCA AN. 1035 FLORUIT.

Practica Petricelli Salernitani extat in Biblioth. Parisiens. Imper. ms. fon. s. Germ. Edid. De Rentius Coll. Sal. T. 4. Tertius liber longe a primo diversus ab aliis adiunctus est habendus.

Praemissa epistola ad filium de miscellaneis medicis et historicis rebus, morbos a capite ad calcem percurrit. Brevisse eos definit, saepe sedem, causas et signa indicat; medendi modos admodum multiplicat. Morbos graecis vocabulis designare ad laborat, hellenismis abundat.

Quando morborum causas, successiones, et individui conditiones respicit, non vanas, quandoque utilles medendi rationes proponit. Maxima operis pars est in therapia empirica. Notatu est dignum quod agens de cardiacis perniciosas diaphoreticas et cordis adynamiam recentiorum adumbrat.

Cuique opus legenti satis appareat auctorem solummodo graeca et latina exemplaria prae manibus habuisse, et Garioponto proxime accessisse. Omni arabica citatione et admixtione immunis nec experientiae inops inter primaevae Scholae Salernitanae fundatores est recensendus.

GARIOPONTUS

AB AN. 1020 AD 1050.

Vario nomine Warimpotus, Raimpotus, Garimputus, Guarimpotus citatur.

In Balensi Biblioth. habetur ms. cui titulus: «Passionarium, seu practica morborum Galeni, Theodori Prisciani, Alexandri et Pauli. Gariopontus quidam Salernitanus eiusque Socii una cum Albicio ab erroribus emendavit et in hunc ordinem redegit ». Compilatitium opus videtur; certe titulus ab ipso Garioponto provenire non poterat. Codex ms. Biblioth. Angelicae Romae est vicinior authentico «Auctor istius libri fuit Gariopontus: exposuit eum ex epistola.... libris Alexandri et Theodori». Opus in septem libris et appendice continet medicinae practicae tractationem magis copiosam, quam ali Salernitani tractatus, excepto Uratslaviae codice.

Ex ipso Passionarii titulo antiquum Scholae usum opera in commune scribendi deprehendimus. Ex opere Gariopontum plurima et vulgaria vocabula latine redidisse colligimus. Idem novas voces in artem mendendi induxit, quae a posterioris aevi Scriptoribus servata mox in italicam linguam transiverunt.

Ex suis ipsis citationibus patet Gariopontum fuisse

auctorem operum De Dynamidiis, Physicorum, et De Chirurgia. Haller librum de medicinis expertis , De Rentius libros de catharticis et de simplicibus remediis ei etiam tribuerunt.

Practica Garioponti a Daremberg in mss. Biblioth. Oxonii etc. fuit recognita. Quae edita fuit ex Garioponto et falso Aesculapio ab antiquo scriba conflata ad primos typos facile transivit. Si genuini Garioponti articuli ab illis pseudonymi purgarentur, haud difficulter exciderent Sprengelii et Reinisii asperae de Garioponto censurae.

Inter Garioponti opera praestat tractatus de Febribus, qui inter digniores eiusmodi tractatus merito locum obtinuit. Cnf. quae in secunda oratione de ipso disserui.

Eius opera multam erulsionem graeco-latīnam, nullam arabicam, ne citationem quidem, referunt.

Omnibus collatis, Scholae Salernitanae primarius fundator est habendus.

#### ALPHANUS SECUNDUS

ANNO. 1050

Petrus Damianus et posteriores historici Alphanum auctorem habuerunt operis « De quatuor humoribus corporis humani » Joan. Bapt. Mari Cassinensis non

solum hoc opus sed aliud Alphani « De unione animae et corporis » in Biblioth. Montis-Casini vidisse testatur. At ibi nunc non extant, et frustra alibi sunt conquisita.

Alphanum rei medicae operam dedisse, sed magis de politicis et poeticis rebus meritum fuisse liquet.

CONSTANTINUS

AN. 1076.

Constantinum Salernum petiisse constat, moram ibidem fecisse est incertum. Multa in Monte-Casini coenobio opera, nulla Salerni in urbe scripsit.

In Bibliot. Neapol. Nationali (Plut. VIII, D) extat ms. « Pantegni » scilicet Tota ars. Capitula diverso ordine ab opere partim edito sunt disposita. Desunt primae partes. Hygienes, Therapeuticae, Materiae medicae, Medicinae practicae, et Chirurgiae argumenta comprehendit.

Constantinus Hippocratis Aphorismos latine vertit, sed versio infidelis est et imperfecta. Eius autographa in Monte-Casini Bibl. extare putatur; sed De Rentius tantum codicem, cui titulus Chirurgia, ad eum pertinere censem.

Viginti duo eius opera enumerat Leo Ostiensis. Novem, quae supersunt, edidit Henricus Petrus.

1. Viaticum de morborum cognitione et curatione,  
libri VII. 2. De Remediorum et aegritudinum cogni-  
tione, liber I. 3. De Urinis, liber I. 4. Opus Constan-  
tini proprium, De stomachi affectionibus naturalibus ,  
liber I. 5. De Malinconia, libri II. 6. De incantatione  
et adiuratione collique suspensione, Epistola ad filium.  
7. De mulierum morbis, lib. I. 8. De chirurgia, lib.  
I. 9. De gradibus simplicium. Reliqua hactenus de-  
siderantur.

In opere « De stomachi affectionibus » sparsa an-  
tiquorum loca collegit, et primum de stomachi mor-  
bis tractasse asserit. Pantegni eius opus princeps  
ad Ali Abas pertinuisse, Constantimum versionem fe-  
cisse, et nonnulla Isaachi addidisse critici sunt arbi-  
trati.

Constantinus in pathologia humores et materiam  
morbificam, in therapia aegrorum vires, morbi sta-  
dia et qualitates pendit. De phlebotomia prudentio-  
res cautiones indicat. Galenicas et arabicas doctrinas  
collegit, et quamvis eius opera iis, quae erant sui  
temporis, minus sint empirica, tamen distinctionibus  
et subtilitatibus, quae Arabismi nomine veniunt, a-  
bundant.

Arabicae medicinae notiones in Italiam invexit, et  
dum ampliationem eorum, quae ab Arabis hausit,  
ostentat, nihil de Salernitanae Scholae scientiae et  
statu innuit.

Nimia laude veteres eum sunt prosecuti: nihil, nisi vitiosas versiones fecisse recentiores asserunt. Utraque iudicia moderanda videntur.

Ratione temporis habita faecundior scriptor, sed Galeni et Arabum cultor, ipsis maior in polipharmacia fuit.

### COMPENDII SALERNITANI SCRIPTORES

AB. XI. SAECULI DIMIDIO AD FINEM.

Codicem in Uratislaviae Biblioth. Magdalenaе invenit Henschel, cui in catalogo titulus « Codex II. Herbarius latine in pergamenta, et varii medicorum tractatus » Compendium Salernitanum eum appellat Henschel, quod hoc titulo in libro « Circa Instans » citari est ratus. Dissentit de hoc titulo De Rentius. Certe codex fere omnigenas Salernitanae Scholae doctrinas in aurea eius Scriptorum aetate complectitur. Edid. De Rentius, Coll. Sal. T. 11.

Codex post XIII saeculi dimidium exaratus videatur, sed tractatus ad auctores, qui a dimidio ad finem undecimi saeculi floruerunt, pertinent. Fere omnes tractatum tituli sunt sine auctorum nomine; multi tractatus titulo carent. Titulos supplevit Henschel.

Dignior codicis pars est in tractatu « De aegritudinum curatione ». In eo septem Magistri ut capitulo-

rum auctores nominantur; pauca fragmenta auctoris nomine carent. Primae sectionis anonymus auctor de morbis generalibus, praecipue de febribus tractat. Febrium classes simplicius ac naturalius constituit, diagnosim in pulsibus et urinis ponit. Etsi causas in materiis morbificis reponat, minutissimae tamen therapiæ praecipuum criterium ex anni tempore desumit. Ceterum materiae quantitati et sedi hypothetice adhaeret. In secunda sectione septem Magistri de topicis morbis, a capite ad calcem, ordine tractant. Incipit Mag. Joan. Platearius: sequuntur, si de eodem morbo agunt, ordine fere constanti, Cophonis, Petronii, Afflaci et Bartholomaei fragmenta. Ferrarii duo articuli, quatuordecim Trotulae sunt interpositi. Ex omnibus pathologiae specialis opus, praesertim therapiam iuxta septem auctores respiciens componi potest. Innumera proponuntur remedia, quae nunc veteris ingenuitatem, nunc recentis empirismi primordia referunt. Et recte Henschel « Si actionem, quae illo aevo remediis tribuebatur, noscimus, curatio iuxta praemissa, sive rationalis, secundum eos videtur. Alioquin praescripta remedia viderentur inepta, dum in eis summa attentio, et intelligens regnat empirismus ».

Cnf. 3. Orationem.

TROTULA

CIRCA AN. 1059.

Fabricius, Baccius, et Mazza eam Trotulam de Ruggiero appellant.

Praeter tractatum « De mulierum passionibus ». Baccius librum « De medicamentorum compositione ». Mazza etiam librum « De feris, et De Mulierum passionibus ante, in, et post partum » Trotulae tribuerunt.

In Biblioth., Neap. Nationali (cod. ms. Plut. VIII, D) extat Tractatus Trotulae « De morbis mulierum ». Deest capitulum de ornatu. Multa ab opere edito variantia exhibit.

In Biblioth. Uratslaviae Reidengeriana habetur ms. saeculi XIII. In duas partes dividitur. I. Liber de passionibus mulierium secundum Trotam ; II. Trotula minor inscribitur: multi insunt articuli novi vel inediti. Capitum dispositio ab edito opere discrepat. Pars gynaecologica desideratur.

In Biblioth. Parisiensi (ms. 7056) extat operis ms. Ante interpolationes exaratum videtur. Opus posterior medicus Salernitanus edidit : identidem sua interponit, sed Trotulam Magistrum operis vocat.

Editio Veneta 1553 duos coniungit titulos; primum

« Trotulae curandarum mulierum ante, in, et post partum, liber unicus »; et alterum « Trotulae de mulierum passionibus ante, in, et post partum cum reliquis partui item inservientibus ».

Argumentum sufficienti peritia tractatur, nec recta desunt praecepta. Haud spernendi sunt articuli « De polypis uterinis; De nutricis electione, eiusque hygiene et victu ». Vestigia localis syphilitidis ibidem inveniuntur.

In Tractatu « De aegritudinum curatione », cod. Uratisl. (Ed. De Rentius, Col. Sal., T. 2) quatuordecim Trotulae articuli leguntur, qui ea sunt forma et varietate, ut ex maiori Trotulae opere excerpta videantur.

Quae ibi tractat nihil theoriae, multum pharmalogiae referunt. Articuli in medicinalium non ineptis formulis consistunt. De pleuresi velut peritus medicus agit. De ventris solutione expedientia et utilia proponit.

Cnf. 3. Orationem.

### PETRONIUS

AN. 1086

De Rentii iudicio idem est ac Petricellus iunior. Certe hic auctor a Petricello, qui inter primos Scholae Salernitanae auctores fuit, diversus est habendus.

Doctrinae forma, et locutiones operum diversae binos auctores homonymos satis distinguunt.

In Tractatu Joan. Afflacii de febribus, cod. Uratislaviae, insunt plures Petronii articuli, quibus febrium doctrina Salernitana illius aevi completur, et quoad praxim illustratur.

In cod. ms. Biblioth. Ambrosianae Mediolan. extant fragmenta, quibus titulus: « Incipiunt curiae Petroncelli » (Ed. De Rentius, C. Sal., T. 4).

Plura Petronii fragmenta in Tractatu de aegritudinum curatione cod. Uratislav. sunt inserta, quae ex maiori Petronii opere desumpta videntur. De iisdem morbis, quos alii eiusdem tractatus auctores expendunt, agit, sed eius articuli aliquid originarii referunt. Duo, scilicet de tinnitus aurium et de eructationibus, ad Petronium exclusive pertinent.

Morborum causas in humoribus, aere, morbis praegressis, simultaneis conditionibus inquirit. Causarum signis distinctis, curationes secundum eas dirigit, aliquando iuxta conditiones individuales inflectit.

Cnf. 2. Orationem.

JOAN. AFFLACIUS CONSTANTINI DISCIPULUS

AN. 1090

In Cod. Uratslav. invenitur 1. « Liber urinarum Mgri. Afflatii, discipuli Constantini ». In fine litteris maiusculis est scriptum « Explicit Liber aureus » Ex eo aliisque argumentis Henschel Librum Aureum non Constantino, sed Afflacio attribuit. 2. « Curae Ioan. Afflatii, discipuli Constantini, de febribus» Tractatus continet collationes Afflacii, Petronii, et Bartholomaei de febrium specie, causa proxima, signis, et curatione. Species iuxta typum, seu ordinem naturalem et practicum, sunt dispositae. Afflacius, praecipuus operis auctor, simplicior est in pathologia et specierum distinctione. In eius articulis identidem rectae occurrunt observationes. Trium auctorum argumenta ita sunt disposita, ut mutuo se compleant et non paucum observationis saporem referant. Tractatus Salernitanae piretologiae sub XI seculi finem historicum exhibet monumentum.

Series Afflacii articulorum in tractatu de aegritudinum curatione insunt, quorum non pauci etiam in Libro Aureo continentur. Morborum causas per propria signa distinguit. Saepe secundum eas, alias vero iuxta symptomata vel simultanea curationes instituit. Saepius ad empiriam vergit.

Afflaciū de scientia, arte, et Salernitana Schola  
bene meritum fuisse satis appetet.

ARCHIMATTHAEUS

AN. 1100.

Matthaeus Platearius senior facile hoc nomine est insignitus: homonymus enim Matthaeus Platearius postea floruit. Hinc ut a seniore distingueretur, illud « Archi » ratione temporis probabiliter illi praemitti potuit. Certe Archimathaeus opera scripsit diversa ab eis, quae ad Matthaeum Platearium pertinent, et Salernitanae Scholae maiori fuit ornamento.

In Biblioth. Imper. Paris (Fond. Latin.), habetur ms. cui titulus « Incipit Liber de instructione medici secundum Alquimathaeum» (Ed. De Rentius C. Sal. T. 5). Idem videtur, licet plenior, Tractatui anonymo de adventu medici ad aegrotum, cod. Uratslav. de quo in 3 oratione satis.

Maioris momenti est Practica Archimathaei. Extat in cod. Biblioth. Vaticanae sub titulo « Incipit Practica Archimathei » In Biblioth. Basileae in cod. ms. (F. 11) est cum titulo « Archimathaeus ».

Ab humorali doctrina fere alienus, ex locis affectis non raro indicationes sumit. Alias, causis minus dubiis, quandoque certis indagatis, recte curationes instituit. Sequuntur historiae aegrorum sanationes.

Cnf. 2. Orationem.

MAGISTER BARTHOLOMAEUS

AN. 1100.

In tractatu cod. Uratishlav, cui titulus « Curae Ioan. Afflaci de febribus » multi Bartholomaei articuli habentur. Generalia de febribus attingit, priusquam ad particularia gradum faciat.

Plurima Bartholomaei fragmenta in tractatu de aegritu linum curatione, cod. Urat. extant. In iis morborum causas latius, quam socii, in earum signis et melendi ratione considerat. Alia curationis criteria ab affectionis sede, gradu, anni tempore, a simultanea febre desumit. Non simplex empiricus, sed causarum et diagnosis vestigator, passim ab observatione a liquid theoreticum haurire curat. De nonnullis morbis a sociis omissis disserit.

In Biblioth. s. Marci Venetiis servatur Practica Magistri Bartholomaei Salernitani (Cod. Lat. clas. VII). (Edid. De Rentius C. Sal. T. 4.). Accuratus exemplar invenit Puccinotti in codice nosocomii Sangimignani.

Praemissis generalioribus de remediorum virtute et agendi modis, ad peculiares facultates devenit. De faciendis ante et post medicinam, vel si ipsa male operatur, cautiones addit. Clinicae materiae medicae fundamentis positis, ad multas medicinales composi-

tiones descendit. Inter praxis miscellanea, quando de aegritudinum diversitate agit, licet hypothesi humorum inserviat, multa ad diagnosim et curationem facientia prodit.

Nihil de arabicis doctrinis habet; Constantimum solummodo citat. Salernitanae Scholae spiritum servans non pauca ad scientiam, medendi artem, et Scholae dignitatem contulit.

MAGISTER FERRARIUS

CIRCA AN. 1120.

M. Ferrarii de oculis et de elephantiasi fragmenta extant in Tractatu de aegritudinum curatione, cod. Uratislaviae.

De oculis formulas empiricas cumulat, de elephantiasi empirica purgantibus miscet.

Videtur empiricus, sed ex Niccoli sermonibus constat ipsum rationalem medicinam coluisse, praecipue quum de febribus biliosis tractat.

JOANN. PLATEARIUS SECUNDUS

CIRCA AN. 1120

Multi Platearii nomine Salerni in urbe fuerunt medici, et medicinae cultura fuit veluti hereditas in

familia Platearia. Henschel Plateariorum arborem vel tabulam, ad medicorum confusionem vitandam, composuit.

Joan. Platearii Practicae Brevis editio est inserta in Practica Serapionis, Venet. 1497. Omnia huius operis capitula in Tractatu de aegritudinum curatione sunt comprehensa et praecipuum huius tractatus fundamentum constituunt.

Auctor virium, aetatis, anni temporis, et morbi pri-  
marii in aegritudinum curatione rationem habet. Pas-  
sim causas per symptomata deprehendit, et hac luce  
curat. Affectiones a febre vel cum febre ortas quoad  
febrim curare recte docet.

Mag. Joan. Platearii Regulae Urinarum extant in  
Bibl. Viennae (cod. n. 96) Edid. De Rentius (Col.  
Sal. T. 4.)

Urinae qualitates cum morbi symptomatis compa-  
rat; sed arbitrarias, iuxta humorum hypothetica vitia,  
significationes illis tribuit.

Nulos Arabas citat; doctrinis Scholae latinae infe-  
rioris aevi suas observationes addit, et bene meruit.

COPHO JUNIOR

CIRCA AN. 1120.

Cophonis anatomen de resectione porci edidit et  
zootomiae Democriteae addidit M. Aurelius Severinus.

Ars medendi ms. in Viennae Bibl., cod. CXIII; editio in Opp. Mesue extat. In secunda mea oratione satis de ea.

In eodem Viennae codice etiam habetur « Practica Cophonis secundum humores » Edidit De Rentius (Col. Sal. T. 4). Febres secundum materiae quantitatem, qualitatem, sedem, anni tempus respicit. Aegritudines iuxta causas, et symptomata distinguit; ad diagnosim uroscopiam adhibet. Nimium humorum vitiis, licet practice et ad recentiorum mentem, quoad diatheses, adhaeret.

Plurima Cophonis fragmenta in Tractatu de aegritudinum curatione sunt inserta. Praeter articulos, aliis huius tractatus auctoribus communes, complura Cophonis capitula propria et authentica ibi extant. Morbos praesertim rheumaticos expendit, quorum in causa humores, phlegma praesertim, ponit. Anni temporis, morbi diuturnitatis, causae, symptomatum rationem in curatione habet. Totus est in variis medendi modis.

In codice Uratslaviae « Tractatus de Urinis earumque significationibus » est comprehensus. Henschel et De Rentius solidis argumentis eum Cophoni tribuunt.

Cnf. secundam oration.

NICOLAUS PRAEPOSITUS

AN. 1130.

Diu in medendi arte exercitatus Antidotarium pratico scopo scripsit.

In Neapol. Bibl. Nationali ( cod. XIII sec. ms. Plut. VIII, D. ), extat Antidotarium lectione ab edito variante. Insunt alienae additiones; videtur opus XIII saeculi compilatum. Antiquus codex iu Bibl. Florentina (CLXII. Cat. Bandini) titulo «Antidotarius Salernitanus a Magistro Nicolao compositus» servatur.

Pharmaci speciem, facultates, compositionem, varia nomina, morbos, in quibus remedium fuit, distincte indicat, usum determinat. Cophonem saepe sequitur.

Graecos, Latinos et Salernitanos remediorum autores memorat ; nulos Arabas citat. Scholae Salernitanae Gymnasialis constitutio, et practicus spiritus ex antidotario desumitur.

Antidotarium Scholae Salernitanae et doctrinae ibi exculta est etiam documentum.

Cnf. 3. oration.

AEGIDIUS CORBOLIENSIS.

AN. 1150

Exterus, sed Salernitanae Scholae discipulus. quatuor de medicis et Salernitanae Scholae rebus poemata scripsit.

1. De Urinis « Notis illustravit Gentilis a Fuligno.
2. De pulsibus » multo favore ab antiquis habitum. 3. « De laudibus et virtutibus medicamjnum ». Haec iuxta Antidotarii seriem exponit. Expositionis substratum et materiam a Glossis supra Antidotarium a Matthaeo Plateario conscriptis desumit. Editum primitus a Leysser 1721. 4. « Tractatus de signis et symptomat. ae- gritudinum » cuius solum fragmentum invenit Daremberg in Bibl. Bodl. Oxford. 5. Jerapigra ad purgan- dos praelatos.

Prolixam huius curiosi poematis notitiam praebuit Victor Leclerc.

Poemata medica edidit et illustravit Chouulant. Li- psiae 1826.

Scholae Salernitanae Magistrorum scientiam, do- cendi rationem, Academiae ordinem, Praesidis digni- tatem, Scholae doctrinas et praxim poetice, sed ac- curate exponit, et de Salernitanae Scholae statu lu- cidum praebet documentum.

Aegidium Salernitanos Magistros coaevos laudibus extulisse, et Constantinum vix nominasse est notatum dignum. Ex eo Scholam Aegidii tempore sui iuris dominam, et ab arabismo immunem fuisse colligimus.

MATTHAEUS PLATEARIUS

AB. AN. 1130 AD 1160 JOAN. SECUNDI PLATEARII FILIUS.

Glossas Nicolai Antidotario addidit. Hinc Glossae raro ab Antidotario seiunctae sunt editae.

In Uratslaviae codice art. 20 Glossarum verum et authenticum textum, quamvis varia lectione, extare demonstrat Henschel; editiones, propter plurimas additiones, corruptas habet. Inter editiones minus interpolatas est »Glossae in opp. Mesue apud Juntas 1570.

Multa nova et utilia de historia, origine, et adulteratione medicinalium Antidotario addidit; simplicium doctrinam illustravit. Fundamenta operis ex Galeno et Salernitanis Magistris sumpsit, nulos Arabas, solummodo Constantimum de gradu simplicium citavit.

Chouant, Henschel, et De Rentius ipsum auctorem habent libri, cui titulus «Circa instans» cuius verum et incorruptum textum in Uratslaviae codice, art. 15, in Tractatu simplicium medicinarum, haberri existimat Henschel.

Editio est in Practica Serapionis 1497. Alia in ea-

dem 1503. Auctores Tractatus in codice et in editione  
diversos habet Henschel.

Liber materiam medicam Salernitanam quadam  
amplitudine et novitate exhibet. In introductione Ga-  
rioponti, Cophonis, aliorumque Salernitanae Scholae  
doctrinas intactas servat.

MAGISTER PETRUS MUSANDINUS

AN. 1160 SCHOLAE PRAESES.

Codex Musandini nomine « Summula de praepara-  
tione ciborum, et potum infirmorum » servatur in  
Bibl. Parisien. (mss. V. IV). Secundus sub nomine Petri  
de Musanda « De diaetis infirmorum » extat in Bibl.  
Londinensi (mss. V. I.) Tertius in Bibl. Vaticana cum  
titulo « Tractatus de cibis et potibus febricitantium »  
(cat. cod. med. aevi) Ex quibus unum opusculum  
sub vario titulo, vel eadem capitula ab eo excer-  
pta fuisse dicendum est. Inter tractatus, qui Arnaldo  
Villanova tribuuntur, est editus cum titulo « De  
modo praeparandi cibos et potus infirmorum aegri-  
tudine acuta ( Arnald. Villan. Opp. omn. Basileae  
1585 ). Edidit De Rentius ( Coll. Sal. T. 5 ), Aegidius  
Musandinum etiam de Urinis et therapia scripsisse as-  
serit.

Alienus a pharmacis, totus est in diaeteticis; hinc

cibos et potus aegritudinum incommodis et symptomat. aptare adnititur. Aegrorum desideriis et iucunditati, ut natura confortetur, indulgendum, et quomodo, si ipsi contraria expetant, sint ingeniose decipiendi, indicat.

Ad aegrorum minutiora particularia descendit, et Salerni Scholae practicum spiritum servat.

MAGISTER SALERNUS

AN. 1160. SCHOLAE PRAESES FUISSE VIDETUR.

In Uratislav. Bibl. Universitat. ( I. C. 156 ) est ms. « Salerni Medicinale ». Principium et distributionem edidit De Rentius ( Col. S. T. 2 ). In Bibl. Florentiae extant duo mss. cum titulo « Tabulae Salernitanae, seu Catalogus medicamentorum simplicium, iuxta facultatum seriem disporitorum » Tabulae Salerni in Bibl. Imper. Paris. ( ms. 694 ) servantur. Edid. De Rentius ( C. S. T. 4. ) « Contra quaelibet morbi vitia, ipse ait, remedia plurima pando » Nihil, nisi brevem, saepe hypotheticam remediorum distributionem profert.

Compendium Salerni est in codice Bibl. Nosocomii Sangimignani, et etiam in Bibl. Laurentiana Florentiae. Edid. De Rentius ( C. S. T. 3 ).

Ab humoribus vario sub respectu morbos derivare

asserit. Obiter motus morbi in naturam et naturae in morbum influere innuit. Mox ad analecta praxis et materiae medicae inordinate descendit.

Quid ex his meruerit, facile colligitur.

MAGISTER BERNARDUS PROVINCIALIS

AB. AN. 1150 AD 1160.

Magistri Salerni discipulus commentarium super magistri Tabulis scripsit. Ms. inventum a Daremberg Basileae edidit De Rentius ( Col. Sal. T. 5. ).

Remedia ut plurimum vegetabilia, domestica, et vulgaria secundum species, qualitates, praeparationes, praebitiones, sed maiori hypotheses cultura, humorum vitia percurrit. Conspicuas sed saepe imaginarias facultates remediis tribuit.

Non vanum est commentarium: nam Salernitanas praxes licet, vulgares, quas vel Salerni didicerat, vel in Salerni Auctorum operibus legerat, significat.

MAURUS

AN. 1170.

Magistri Mauri Tractatus de Urinis ms. est in Bibl. Paris. ( Catal. T. 4 ). In Bibl. anglica est ms. cum ti-

tulo «Maurus Salernitanus de Urina et febribus» et ms. «Liber phlebotomiae, secundum Magistrum Maurum». In Bibl. Florentina est ms. «Regulae urinarum Mag. Mauri».

Ms. «Regulae urinarum» Bibl. Florentinae cum variantibus aliorum edidit De Rentius (Col. Sal. T. 3).

Urinae alterationes hypotheticis humorum vitiis tribuit. Humorum vitia intra vel extra vasa in febrium causa ponit. Sub hoc respectu et typi febrilis ratione urinas respicit; cum organorum phlogosi, et vitiis viarum urinae eas etiam connectit. Hypotheticam humorum uroscopiam statuere adnititur.

Glosulae Aphorismorum secundum Magistrum Maurum ms. extant in Bibl. Universitatis Viennae.

Aphorismos considerat, distinguit, explicat, ad proxim dirigit. Hippocratis intentionem empiricis et methodicis adversari, logicis medicis favere asseverat. Aegritudinum particularia potius, quam generalia persequitur.

Ut plurimum rationali fundamento et observationis criterio in hoc opere utitur.

ROMUALDUS

CIRCA AN. 1170.

In Romualdi persona determinanda quaestio inter De Rentium, et Marinum est orta. Duo enim Romualdi medici Salerni fuerunt.

Unus ex eis auctor fuit capituli sub titulo « Rubrica de pulsibus, secundum Magistrum Romualdum Salernitanum ». Extat in codice Bibl. Viennae (n. 96). Edidit De Rentius ( Coll. Sal. T. 4 ).

Ex pulsuum vitiis varios morbos, quandoque causas etiam, dignoscere putat. Nimium et persaepe in pulsu arbitrarie confidit.

MATTHAEUS DE ARCHIEPISCOPO

AN. 1180.

Ex nomine et uroscopicis, quas docet, doctrinis Salernitanus videtur.

In codice Bibl. Universit. Viennae ( n. 95 ) est ms. cui titulus « De Urinis secundum Matthaeum de Archiepiscopo ». Edidit De Rentius ( C. Sal. T. 4 ).

Urinarum qualitates et mutationes minute percurrit, easque ad humores eorumque qualitates refert.

Morborum etiam varietates, stadia, mulierum status,  
aegrorum fata ex urinis dignoscere satagit.

Plurima, et plerumque vana urinis tribuit.

ROGERIUS CHIRURGUS.

AN. 1220.

Ms. Rogerii Chirurgia est in Bibl. Paris (n. 7035)  
In Collectione « Ars Chirurgica » Venet. 1546 est in-  
serta « Rogerii medici celeberrimi chirurgia ». Edidit  
etiam De Rentius (Coll. Sal. Tom. 2).

In quatuor Magistrorum Glosulis haec de huiusmodi  
opere leguntur « Relatu quorumdam sociorum anno  
MCCXXX ab incarnatione Domini factum fuit seu  
compositum istud opus, et non a Magistro Rogerio  
solum, sed a tribus aliis cum eo; verum ipse suo no-  
mine intitulavit ». Ipse Rogerius in praefatione « So-  
ciorum et illustrium virorum uti operari consuevi-  
mus in scriptis redigere censuimus ».

Hinc non a Graecis vel Latinis , neque ab Arabis ,  
sed a Salernitana praxi conclusiones collegisse con-  
stat. Non pauca etiam ex se excogitasse , et chirur-  
gica tentamina proprio marte fecisse ex eius Chirur-  
gia desumitur.

Rogerii opus recentioris Chirurgiae nonnulla pri-  
mordia vel vestigia continet , et Salernitanae Scholae  
quoad chirurgiam est documentum.

GUALTERIUS SALERNITANUS

CIRCA SAECULI XIII INITIUM PROBABILITER SCRIPSIT.

Haller duos codices ineditos Gualterii operis « De dosibus » memorat. Alter in Bibl. Paris. (n. 6964), alter in Bibl. Petr. Cantabriensis extat.

Opus, cui titulus « Practica Medicinalis Gualterii Scholae Salernitanae » inter Montecasini codices ( n. 279 ) servatur. Capitulorum indicem edidit De Rentius ( Istor. docum. Doc. 99 ). Ex eo satis appareat inordinati et collectanei operis specimen.

QUATUOR MAGISTRI.

PROBABILITER CIRCA AN. 1270

Glosulae quatuor Magistrorum sunt Commentaria super Chirurgia Rogerii, et Rolandi; ordinatae et editae fuerunt saeculi XIV initio ab Aretino Guidone.

Tria Glosularum mss. in Angliae Bibliothecis, quartum in Monochii Bibl. extat. Quintum in Bibl. Mazarina Paris. invenit et edidit Daremberg. Edidit etiam De Rentius ( Col. Sal. T. 2 ).

Dubiis de quatuor Magistrorum nomine et de eorum critica historia praetermissis, certum est ipsos Roge-

rii et Rolandi chirurgiam explicasse, non semper eorum sententiis adhaesisse, et saepe illorum textui empiricas praxes miscuisse. Quatuor Magistri vasorum suturas et nonnulla de syphilide novisse videntur.

Glosulis quatuor Magistrorum Salernitanae chirurgiae documenta complentur.

JOANNES A PROCIDA

AN. 1295.

Ex antiquis monumentis, quae collegit Mazza, apparet Joannem a Procida scriptorem fuisse operis, cui titulus « Utilissima Practica Brevis ». Opus non amplius invenitur. Nonnulla Joannis a Procida citantur remedia.

Vir eminenter politicus parum sub medico aspectu se protulit.

PETRUS MARANCHIUS

AB AN. 1281 AD. 1313.

Scripsit opus, cui titulus « Tabulae Petri Maranchii Salernitani ». Extat inter mss. Neap. Bibl. nationalis (Pl. VII. D.). Edidit De Rentius (Coll. Sal. T. 4).

Binas tantummodo remediorum classes respicit, hoc

est confortantia, et edacentia, eaque quoad actionis modos, organa, in quibus agunt, et diversos humores educendos considerat.

Imaginariis persaepe remediorum virtutibus indulxit.

ARNALDUS VILLANOVANUS

SUB XIII SAECULI FINEM.

Num Gallicus, Hispanus, vel Italus fuerit, incertum est. Mazza et Marsilius Colonna eum Salerni docuisse ex traditione affirmant.

Primus Salernitanae Scholae versus edidit. Inter prolixa aphorismorum commenta non caret rectis animadversionibus et aptae litteraturae notitiis, sed nimium Galeni et Arabum eruditioni et auctoritati detulit.

Non omnes Salernitanae Scholae versus collegit, nec omnes aphorismi, quos illustrat, certo ad Salernitanam Scholam pertinent.

MATTHAEUS SILVATICUS

AB AN. 1297 AD. 1317.

Opus Pandectarum medicinae edidit, et Roberto Siciliae Regi dedicavit. Diligenter et emendate im-

primendum curavit Angelus Cato Supinas de Benevento.

Opus est materiae medicae, vel simplicium Dictionary. Auctor sedulo virtutes et usus herbarum vestigat, vocabula explicat, et nominum etymon exponit. Freind facta a Silvatico quaedam in re botanica incrementa, naturamque et virtutem herbarum accuratius ab eo descriptam, quam a quovis antea, existimat.

Quamvis plurima in hoc opere sit eruditio, arabissimi tamen et auctoritatis cultus satis appetet « Jam praetermissa erat, ait De Rentius, ingenua illa Salerni auctorum simplicitas ».

#### CAESARIUS COPPOLA

AN. 1327.

Opusculum scripsit, cui titulus: « Consilia medica Caesarii Coppola Salernitani » Ms. extat in Bibl. National. Neapol. (Plut. VIII. D.). Binas continet curationes, primam de suffocatione matricis, secundam de ethica senectutis.

Empirica et vulgaria praebuit.

SALADINUS ASCULENSIS

PROBABILITER CIRCA XV SAECULI DIMIDIUM.

Scripsit Compendium aromatariorum et Jo. Anton.  
Orsini, Tarenti Principi, direxit.

Opus in septem partes divisit, et tractat de pharmaco-  
polae examine rite instituendo, de nomine me-  
dicinalium Antidotarii Nicolai Praepositi, de pondere  
et dosibus, de modo conficiendi composita, de modo  
colligendi plantas, flores, radices, de modo servandi  
simplicia et composita, de modo disponendi Pharma-  
ciam.

Ex quibus nonnulla nostra etiam aetate desideran-  
da videntur. Hoc nomine de Salernitana Schola, et  
de medicina publica promeruit.

FRANCISCUS ALPHANUS

POST SAECULI XVI DIMIDIUM.

Salernitani Collegii Praeses Prioris nomine fuit.

Scripsit « Francisci Alphani philosophi et medici  
Academiae Salernitanae Opus de peste, de febre pe-  
stentiali et febre maligna, nec non de variolis et  
morbillis, quatenus nondum pestilentes sunt ».

Opus editum Neapol. 1577. Librum ut satisfaceret discipulis , qui solidiores doctrinas de epidemiis , illo aevo grassantibus, noscere petebant, scripsit. Dicavit Archiepiscopo Salerni M. A. Marsilio Colonna. Pro operis dignitate duo medici Salernitani Andreas Te-saurerius, et Lucius Orofinus praefati sunt.

Expositis doctrinis Hippocratis, Galeni, et Averrois, multa ad illarum epidemiarum historiam facientia et ad scientiae statum, quoad populares morbos , expo-nit. Quando pestem a febre pestilenti, et variolas ac morbillos, quatenus nondum pestilentes sunt , distin-guit, hos morbos uti pestis gradationes non habere videtur.

Ex quibus Salernitanae Scholae pristinam dignita-tem restituere admittitur.

#### PAULUS GRISIGNANUS

AN. 1542.

Salerni typis impressa eius extant opera:

1. Pauli Grisignani de Salerno, libellus de pulsibus. Rogatu auditorum , ut in publicis exercitiis an. 1542 aliquam brevem de pulsibus annotationem faceret, li-bellum scripsit.

2. Ad pag. 62. Pauli Grisignani de Salerno De U-rinis libellus. Hippocratis, Galeni, et Avicen, loca in-terponit.

3. Ad pag. 130 Tractatus de egestionibus.
4. Opusculum, cui titulus «Paulus de Grisignano de Salerno » excusum Neapoli 1539. Est apologetica de practico casu controverso tractatio.
5. Pauli Grisignani de Salerno in aphorismos Hippocratis expositio. Impres. Salerni, 1543. Dicavit Ferranti Sanseverino. Est minuta in Hippocratis aphorismos commentatio.
6. Pauli Grisignani de Salerno, Super prima Fen. primi Canonis Avicennae.  
In omnibus opp. plus auctoritati, quam observationi tribuit, et cum Graecis Arabas colit.

JOAN. VINCENTIUS DE RUGGIERO

AN. 1570.

Scripsit opusculum, cui titulus «Quaesitum, an mater ad prolis generationem concurrat active». Neapoli 1558.

In eo Galenus et Aristoteles inter se large disputant; ad haec expositio Scoti et D. Thomae in eo adducitur et impugnantur; multa relative excuduntur.

JOAN. NICOLAUS DE RUGGIERO

AN. 1587 COLLEGII PRIOR.

Praeter expositionem trium tractatum Averrois  
in Logica magna, scripsit etiam :

1. Joan. Nicolai de Rogeriis Medici Liber solutio-  
num , et contradictionum in medica facultate ». Nea-  
poli 1583.

2. Joan. Nicolai De Rogeriis, Commentariorum in  
libros Galeni de ratione curandi per sanguinis missio-  
nem ». Campaneae 1560.

Ex quibus , quid de pristino Scholae observationis  
spiritu remaneat, patet.

MICHAEL VICINANTIUS

AN. 1568.

Scripsit librum « De salis natura, ac sale cum pa-  
nibus commiscendo ». Dicavit Sisto V. Pont. Max.

Opusculum ineditum servatur in Bibl. Nation. Nea-  
pol. ( Plut. VIII. D. ).

Late de salis utilitate oeconomica et medica , de  
panis sine sale damno tractat. Latius nititur osten-  
dere ad corporum sanitatem salis cum pane mixtio-

nem conferre; quod cum facere Romani non sint soliti, auctoritate summa procurandum ut fiat.

Recentiores in salis commendatione praeivisse vindicetur.

### LAURENTIUS GRILLO

CIRCA 1556 ad 1568.

Duo eius opuscula Pragae sunt edita, quorum titulos refert Toppi.

1. « Laurentii Grilli de Salerno De Sapore dulci et amaro libri duo ».

2. Accessit in fine « Oratio Laurentii Grilli de peregrinatione studii medicinalis ergo suscepta ». Pragae 1566.

### CAMILLUS THESAURUS

CIRCA 1590.

Opus edidit, cui titulus « Camilli Thesauri de Corneto Medici Pulsuum Opus absolutissimum in sex libros divisum ». Neapoli 1594. Laelius Potenza praefatus est.

SABATUS ROBERTELLUS SALERNI

Citatur a Mazza ut auctor operis « *Apologia notabilis historiae motus spasmodici ex lumbricis* ».

SCIPIO THESAURARIUS SALERNI

Citatur a Mazza ut auctor *Operis de Peste*.

VINCENTIUS DE PETRONE

CIRCA AN. 1650.

Primum in patrio Salernitano Gymnasio philosophiae, postea in Pisano medicinae practicae professor fuit.

Scripsit librum, cui titulus « *Litterarium duellum inter Salernitanos et Neapolitanos medicos* ».

Scholae Salernitanae studiosus socium medicum, Michaelem Rocco redarguit, quia in curando aegroto consilium medicorum Neapolit. Salernitanis praetulerit.

Duo etiam opuscula scripsit, quorum tituli: 1. « *Oratio pro sapientia in ingressu ad Pisanum Liceum* ». 2. « *De vermiculis quibusdam cucurbitini seminis referentibus speciem in cervorum et aprorum epate inventis* ».

MICHAEL ROCCO

AN. 1650.

In antiquissimo Salernitano Gymnasio medicae facultatis interpres, atque in medicorum Collegio Consultor.

Sub simulato Francisci Parthenii nomine scripsit opusculum, cui titulus » Anticensura in Litterarium duellum inter Salernitanos et Neapolitanos medicos ». Neapoli 1650.

Errores Petroni monstrare, suamque doctrinam tueri adnititur.

JOANNES ANTONIUS VITALIS

POST XVII SAECULI DIMIDIUM.

Haec scripsit opuscula: 1. «Apologia de capitibus vulneribus. 2. Supplicium contra elogium Pellegrini. 3. Quaestiones prooemiales Chirurgiae. 4. Quaestiones de capitibus vulneribus. 5. Additio dictis quaestionibus cum peculiari tractatu de decem modis convulsionis et paralysie, qui in capitibus vulneribus contingere possunt ».

ANTONIUS MAZZA

AN. 1685. COLLEGII SALERNITANI PRIOR.

Scripsit « Historiarum Epitomem de rebus Salernitanis » Neapoli 1681. Alio etiam titulo idem opus habetur « Urbis Salernitanae historia et antiquitates, in quibus origo, situs, ubertas, respublica, primatus, nobilitas, principes, Ecclesiae Episcopi, Archiepiscopi illustres, cives, studium, Hippocraticum Collegium etc. dilucidantur » Neapoli 1681. Recus. in Graev. et Burn. Thes. antiquit. et historiar. Italiae. T. IX. Pars. IV. Doctum opus.

PETRUS ANTONIUS DE MARTINO

CIRCA 1690.

Scripsit opus, cui titulus: « Petri Antonii de Martino Geofonensis Responsum Trutinae medicae Musitanus ». Neapoli 1699.

Galenum et antiquas doctrinas tuetur, novitates damnat. Defendit etiam alnum Salernitanum Collegium.

Musitanus Neapoli medicus novas chimicas doctrinas amplexatus erat. Hinc nimis acrem libellum contra

De Martino scripsit, cui titulus: « Celeber. Virorum  
Apologiae pro R.D. Carolo Musitano adversus Petrum  
Antonium De Martino ».

De Martino nimis antiquis, Musitanus nimis neote-  
ricis addictus fuit.

JOSEPHUS MOGAVERI

AN. 1750. SALERNITANI COLLEGII SOCIVS.

Scripserat an. 1737 opus, cuius titulus: « Raggua-  
glio intorno all'origine, prerogative e privilegi della  
celebre Scuola Salernitana e suo Almo Collegio di  
Medici, et intorno a quanto è occorso per l'osserva-  
zione di tutti i suoi privilegii ».

In legali allegatione consistit, in qua causae a Col-  
legio Salernitano defensae, docume nta de privilegiis  
et sententiae favorabiles indicantur.

NICOLAUS GRANITA

PATRITIUS SALERNITANUS SAECULI XVIII INITIO  
NEAPOLI DOCUIT.

Edidit Neapoli « La Filosofia liberata, Poema Eroi-  
co-critico ».

Physicam Sewtoni, anatomen et staticam Santorii  
in versus rededit.

— 173 —

Ipse parva sua poenata edita an. 1715, et suas dissertationes physico-medicas editas 1720 citat.

GERARDUS QUAGLIA

1744 SALERNITANI COLLEGII PRIOR.

Scripsit opus, cui titulus: « Gerardi Quaglia medici Neapolitani in Academia Salernitana Lectoris physicae etc. « De Venae sectionis usu in medicina facienda ». Neapoli 1744.

Quatuor medicas consultationes iuxta Hoffmanni, et iatro-mechanicas theorias continet.

MATTHAEUS POLITUS

CIRCA 1789. ULTIMUS COLLEGII SALERNITANI PRIOR.

Edidit Salerni 1789 opus, cuius titulus: « Medicina Salernitana, idest conservandae bonae valetudinis praecepta cum Arnaldi Villanovani in singula capita exegesi. Accedunt Matthaei Politi in Salernitana Schola P. P. novissima Commentaria ». Dicavit Salernitani Collegii Patribus.

Opus continet etiam alios quatuor hygienicos tractatus, inter quos illum Anastasii: « De ratione victus salutaris post incisam venam ». In tertii voluminis fine

adiecta est Politi Dissertatio: « Esame critico della china ».

Politus sua Scholae dignitatis immemor multum honoris Arabis et Constantino tribuit.

REMIGIUS FERRETTI

AN. 1800.

Opusculum scripsit , cui titulus : Dissertazione chimico-medica sull'acqua minerale di Salerno. Napoli 1800.

Sub Matthaei Politi Prioratu 29 Novembris 1811, invadente Gallico imperio, facultas conferendi Laureas unice Neapolis Universitati est attributa, ideoque Salernitano Collegio est adempta. Sed ex hac sola facultate resecta immerito De Rentius Scholam Salernitanam tunc temporis abolitam fuisse autumat.

Scholae continuatio satis constat ex eo, quod cathedrae Anatomiae, Physiologiae, Pathologiae, Medicinae Practicae et Clinicae, Chirurgiae et Obstetriciae, Physicae, Chemiae, Historiae naturalis in Salernitano

Lyceo conservatae fuerunt. Quin imo hoc notabili cathedrarum numero forensis et Materiae Medicae Medicinae cathedrae sunt additae. Ad haec Musea Historiae naturalis, Physicae, et Chimicae accesse-runt; Theatrum anatomicum est ampliatum Hortus agrarius botanicae etiam tradendae est addictus, Agronomiae cathedra est excitata, academicae facultates ad candidatos ad licentiati gradum promoven-dos sunt extensae. Schola ad ampliorem statum pro-ducta, discipulorum frequentia ita increvit, ut stu-diorum Universitas Salerni constituta videretur.

Ex quibus pro comperto est Salernitanam Scholam ad nostros usque dies non solum perdurasse, sed val-de amplificatam fuisse.

Non igitur anno 1811, quo sola facultas laureas conferendi Salernitano Collegio est adempta (in hoc De Rentium fecellit opinio), sed anno 1861, quando a novo exorto Gubernio sub Italiae nomine haec omnia illustria Instituta sunt abrogata et Italiae ipsius una ex illustrioribus gloriis est deleta, Scholam Salernita-nam abolitam fuisse existimandum est.

Quando, irrito meae missionis et conatus successu, orationem «De immerita Salernitanae Scholae aboli-tione et de rebus in ea gestis» habui, ultima eius fuit dies; sed, magna me fides tenet, non erit finis.

---





